MARTINI RULANDI FILII MEDICI DOCTORIS RATISPONENSIS,

DEMONSTRATIO IUDITII

De

Dente Aureo pueri Sileſij.

ADVERSUS RESPONSIONEM M. IOHANNIS INGOLSTETERI Norimbergenſis.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FRANCOFURTI,
Apud Ioannem Saurium, impenſis Cornelij Sutorij.
M. D. XCVII.

2

12.19.I.39

NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
12
19 I
39

DEDICATIO

GENEROSO ET ILLVSTRI DOMINO, DOMINO FERDINANDO KHVEN à GELASY in Liehtenberg & Hartenaue, Baroni in Neolengenpach,

CAMERARIO HÆREDITArio Archiepiſcôpatus Saliſburgenſis, Archiducum Auſtriæ Conſiliario ſolertiſſimo, DOMINO SVO ſubmiſsè colendo.

N*VPER in Sileſia puero cuidam ſeptenni, Illuſtris domine Baro, domine ſubmiſſa mente colende,* DENTEM AVREVM *magna omnium admiratione ſuccreuiſſe famâ M. V. certò accepiſſe non dubito. Hiſtoria namq; inaudita, aurea, non poteſt non mortalium ora peruadere, multosq; in admirationem, do-*

ctos verò in cauſarum abſtruſarum indaginē abducere. Ego principio percrebeſcentis famæ, ancipitis eram animi, indignam ratus cui fides habeatur, nedum cauſæ effectus aurei inveſtigentur. Verùm eruditis magnisq́; viris deinceps fidem Hiſtoriæ confirmantibus, inprimis Horſthio libellum integrum hac de re noua conſcriptum Cæſareæ Maieſt. primatibusq́; Romani Imperij exhibente: altiùs hiſtoriam rogatus perpendere ſum conatus, chartis paucis emiſsis, quibus Libauij excellentiſs. ſententiam exquiſitè excultam euocare potius cōſtitueram, quàm aduerſarium prouocare. Spes verò fefellit me. Elapſis enim nundinis autumnalibus ad me mittit Ingolſtetterus vir non indoctus, ſua in me cogitata, non ingrata mihi: quòd amicè ſcripta, bilis nihil, conuitiorum nihil euomebant, gratiſſima, quòd conatum veritatis indagandæ referebant. Reſponſum vix ſum meditatus aduerſum. Vidi enim multa in me dicta non diluenda. Negotiorū grauitas & multitudo non horulam excurrendi reuiſum aureum dentem concedebant. Hiſtoria perhibebatur tādem dubia, fallax, multis den-

tem

tem hunc aureum aurea duntaxat armatura circumdatum ſcriptitantibus. Quid igitur veri de re falſitati obnoxia ſtatuendum? Cur publica lux tenebricoſis offundatur nugis? Grauia quare poſtponenda ludicris? priuata anteponenda publicis? At confirmatur adhuc dens verè aureus, nuper demum ad me literis perlatis, teſtibus locupletiſsimis. Inueſtigatio ergò veritatis perficiatur. Quamquam negato etiam aureo dente, hypothetica indagatio vtilitatem, iucunditatem, culturam ingenij conferat, cotem adhibeat animo acuẽdo perpolitam. Proximè etiam ad τὴν χρυσοποιητικὴν accedit, aurificiumq́; chymicorum. Idcircò aliquot horas nocti ſuffuratus meum propugnaui iuditium ſemel editum, iterum prouocatus & rogatus. Magn. autem veſtræ Illuſtri. Demonſtrationem hanc Iuditij de dente aureo inſcribendam duxi: quod illa multiiugi rerum ſcientia excellens, vt rerum philoſophicarum, ita & chymicarum ſtudio oppidò afficeretur, in tranſmutatione metallorum diurnis & nocturnis lucubrationibus tantum ſcientiæ & fructus ſuſcipiendi conſecuta, quantum haud alij et-

iam exercitatiſſimi chymici habiti, multo temporis curriculo, magnum interim rei familiaris diſpendium perpeſſi impetrarũt vigilãtiſſimi. Vale Generoſe Domine Baro, Domine doctiſſime, humaniſſime, & me clementi amore complecti dignare. Ratiſponæ ex muſæo fori vadoſi Calẽd. Ianuarij Anno τῆς θεογονίας 1597.

G. & Illuſtr. D.
ſubmiſsè colens,

Mart. Rulandus F. Medicus Ratiſponenſis.

IN

IN NOMINE IESV CHRISTI.

HISTORIA

τοῦ χρυσοδόντου.

Quomodo à D.Horſthio, in libello ſuo τῆς χρυσοδοντοσκοπίας deſcribitur.

NON fruſtrà anno ſuperiori, nimirum 1593. paucis diebus ante ferias Paſchatis, Chriſtophoro Mullero, puero Sileſio ruſtico, molitoris pauperis filio, patre ſuo multò antea orbato, cùm cecidiſſent dentes critico ætatis ſcilicet ſeptimo, DENS AVREVS MOLARIS, vltimus in inferiori maxilla, verſus ſiniſtram partem, eâdem conformatione, magnitudine, numero, & poſitu, quo alij dentes, enaſcitur. Viſus eſt primùm puellę, ſimul eâdem ſcholam pagi VVeigelsdorff, in quo ſub Domino hæreditario Friderico à Gelhorn nobile pio & prudenti, ac ſupremo magiſtratu Sac. Cæſ. Maieſt. natus eſt, frequẽtanti: Deinde multis illuſtribus prin-

Hiſtoria aurei dentis pueri Sileſij.

Teſtimonia puellæ.

cipibus Sileſiæ, nobiliſſimis viris, ac aliis; poſtremò mihi anno 1594. menſe Septembri, qui eum diligentius & contemplãdum & tangendum, & lapide Lydio probandum eſſe duxi. Aurum aperto pueri ore ſtatim ſplendere video, dentem tango, rotunda figura, in ſumma ſuperficie aſperũ, quatuor apicibus, ac media cauitate de more maxillarium, magnitudine eadem, aut paulò maiori, numero ultimum, poſitu iuſto ſatis firmum ac immobilem & gingiua ſalubri rubricante circumdatum, deprehendo. Neq; hæc mihi ſufficiunt, iubeo cibum dare puero, in medio prandio iterum ad me reuoco, & ſcire cupio, an hoc dente aureo, ſicut aliis in maſticatione vtatur, cibum commanſum adhuc in dente inuenio, ore aqua proluto Lydium lapidem fricando adhibeo, aurum Rhenanum, & paulò melius eo inuenio. Obſeruo quoque alios dentes eſſe integros, niſi quod vnus ac proximus huic nondum renatus eſſet, quem fortè DEVS ideò retardauit, vt tanto magis ille Dens aureus conſpicuus omnibus eſſet. Conſidero inſuper naturam complexionis calidam & ſiccam, ingenium acre, & mores faciles in puero, ne quid digniori meditationi noſtræ deeſſet. Etſi verò multi non credunt, rem ita ſe habere, qui facilè conuinci queunt, eum hodiè alterum adhuc annum DENS

Forma aurei dentis.

Dentis aurei vſus.

AVREVS duret; plures viſo tantum eo acquieſcunt; plurimi conſiderationem eius faſtidiunt, nihil à Cyclope illo Euripideo diſtantes: tamen nos cum omnibus piis & ſapientibus attentè hoc ædificium DENTIS AVREI in puero Sileſio ante dicto contemplabimur, penitiùs introſpiciemus, & liberali mente ad ſapientiſſimam DEI architecturam referemus, imò etiam huius prodigij à condito mundo hucuſque inauditi ſobrias & eruditas interpretationes modeſtè pieque inquiremus. Qui hiſce prælectionibus & meditationibus noſtris de dente aureo pueri Sileſij intereſſe velint: cras hora octaua matutina in auditorio magno conuenient, meumque ſtudium inquirendi abſtruſa atque excolẽdi ἰατροφυσικῶς, imò etiam excitandi mentes veſtras ad admiranda DEI opera boni conſulent. Valete. Datæ Helmſtadij in Academia Iulia 12. Ianuarij
Anno 1595.

MARTINI RVLANDI FILII MEDICI DOCTORIS Ratisponenſis.

IVDICIVM ΠΕΡΙ͗ ΤΟΥ͂ *χρυσοδόντος ſeu* De Dente Avreo:

AD

CLARISSIMVM ET DOCTISSIMVM virum, Andream Libauium, artis Medicæ atque philoſophiæ Doctorem, & phyſicum Roteburgo-tuberanum excellentiſſimum, amicum ſuum ſingularem.

ALtissimvm tuum ſilentium, vir doctiſſime, amicè colende, miratus diu, menſe tandem Iunio, literas accepi tuas, nō ad me, ſed ad D. parentem meum, ut qui non ita procul à tua diſtat ſede, datas & ab eodem mecum communicatas; quibus, quamuis loci diſtātiam & *τῶν γραμματοφόρων* inopiam excuſares moleſtè tamen ferrem, nî breui te ponderoſas ad me exaraturū epiſtolas pollicereris. In fine me ad reſcribendum laceſſis; propoſita de Dente Avreo materia, nuper in Sileſia ex pueri cuiuſdam præſepibus nato: hiſtoria noua & inaudita. Fabulam narrares mihi incognitam; ſi non nuper in conuiuio quo-

quodam lauto, præſentibus viris dignitate & eruditione conſpicuis, de eadem tanquam de re verè geſta, diſceptatum variè iã eſſet, & quæſitum: vtrum in humano corpore viuo DENS aureus naturâ ἢ κατὰ φύσιν generari poſſet, nécne. Aliiſdum partim negatè, partim affirmatè reſpondentibus, negabam ego, re ſaltem obiter inſpectâ, fieri poſſe, ut in humano corpore naturaliter dens gignatur aureus: affirmans effectũ eſſe planè ὑπερφυσικόν. Inque hac perſtiti ſententia ad hunc vſque diem, negotiorum interim multitudine animum meum ab vlteriore huius rei diſcuſſione auocante. Te nunc monitore, petentibus multis, rẽ, quæ non paucis friuola atque inueſtigatu indigna cenſetur, altius perſpiciam: quamquam in hac negotioſa moleſtaque praxi ingeniũ meum, quod olim, te teſte, eiuſmodi theorematis examinandis apprimè delectabatur hebeſcere, languereque videatur. Ibo tamen quo potero, quo non potero ibi ſtabo. Hiſtoria ab hiſtoriographo Horſthio D. deſcripta, aliquot quæſtiones, quæ inter multos viros eruditos controuerſæ meritò eſſe queunt, ſuppeditat. Ego præcipuas duntaxat tractaturus ingenioli mei vires experiar, an remiſſione vſus illæ planè ſint hebetatæ.

I. Ζητούμενον.

PRIMVM QVÆRI POTEST; vtrum DENS AVREVS *in Sileſio puero natus, ſit* παρὰ φύσιν ἅπασαν καὶ ὑπὲρ ἡμᾶς.

R.

ΠΑρὰ φύσιν ἁπλῶς ea dicuntur fieri, quæ ſine ullis cauſis ſecundis, quas humana ratio perſpicere queat, id eſt, omninò naturaliter fieri non poſſunt. Ac dici poſſunt ὑπερφυσικά. Quemadmodum hyperphyſicũ fuit, quod Petrus Apoſtolus corpore, quod natura graue eſt, aquis inambulauerit: quod Elias in cœlum ſublatus ſit: id eſt, utrumq; à ſublimiori principio, quam eſt natura, dependebat, & virtute diuina ſupra naturam phyſici corporis ψυχικοῦ factum eſt.

Hoc effectum autem τοῦ χρυσοδόντος ὑπερφυσικὸν eſſe, nemo facile affirmabit, qui rem geſtam non populari trutina, ſed phyſicorum ſtatera examinaverit. Quandoquidem naturales illud habere cauſas, & cauſas ſecundas participare iã demonſtrabo: omnipotentiam tamen diuinam pio ore profités, atque DEVM Opt. Max. rerum vniuerſitatis vnicum principium & naturæ ipſius creatorem & agnoſcens & celebrans.

Quatenus à ſublimiori τὰ ὑπερφυσικὰ *pendent principio eatenus ſine vllis cauſis naturalibus rationi peruiis contingũt. Proin* τὰ ὑπερφυσικὰ *non ineptè deſcribuntur primò data deſcriptione; niſi* λογομαχεῖν *volentibus.*

2. Ζητούμενον.

AN ERGO ὉΧΡΥΣΟΔΟΥ͂Σ *vel aureus dens κατὰ φύσιν eſt & naturalis?*

R.

NEgato hyperphyſico effecto, reſtat vt affirmetur effectus naturalis eſſe, ἢ κατὰ φύσιν prognatus. 1. Credamus itaq; Horſthio Medico Helmſtadienſi, αὐτοψίᾳ confirmanti aureum eſſe dentem, & probanti Lydio lapide: ſonant enim verba Horſthij: *ore aqua proluto Lydium lapidem fricando adhibeo, aurum Rhenanum & paulò melius eo invenio, &c.* Obryzum, aurum ſcilicet purum putum.

Si purum ergò putumque aurum, ex quo DENS aureus conſtat, naturale erit: quia λόγον καὶ ὄνομα auri habet, quæ duo eſſentiam rei naturalis conſtituunt. Nec nomen καὶ λόγον auri habet ὁμωνύμως, ut multa, quæ ſpeciem auri falsò referentia, pro auro & habentur & venundantur: Sed κυρίως ac verè aurum nominari καὶ λόγον auri habere non tam Horſthius quàm Lydius conteſtatur lapis, cuius natura eſt, verum ab adulterino diſcernere auro. Quamuis non ignorem Lydium lapidem etiam ab adulterato ſignari poſſe: at vitium dolusque patefit aurificum linimento ex æris flore parato; quo ſi im-

ſi impreſſa fucati auri veſtigia illinũtur, protinus illa delentur: non ſic veri auri ſtigmata, quæ manent integra & perpetua. Quod Horſthium obſeruaſſe ſpero.

2. Motus dentis aurei geniti naturalem oſtendit effectum. Quippe Horſthio ita referẽte (*ſuperiori*, inquit ille, *anno paucis diebus ante ferias Paſchatis, Chriſtophoro Mullero, puero Sileſio, ruſtico, molitoris pauperis filio, patre ſuo multo anteà orbato, cũ cecidiſſent dẽtes critico ætatis ſc. ſeptimo*, DENS AVREVS *molaris, vltimus in inferiori maxilla verſus ſiniſtram partẽ, eâdem conformatione, magnitud. numero & poſitu, quo alij dentes, enaſcitur.*) elapſis primis dẽtibus, anno ætatis ſeptimo, vt hic aureus, ita & reliqui omnes ſuccreuerũt. Generatur igitur κατὰ φύσιν (id quod verbum ſuccreuerunt arguit) mutatione potẽtiæ in actum, quæ mutatio facta eſt partium & tẽporis ſucceſſione, alterata ſenſim materia: vel vt ſcholaſtici loquuntur, procedẽdo à termino à quo ad terminum ad quem, ſicut omnes fiunt res naturales. Quare naturalis & κατὰ φύσιν eſt hic dens aureus.

3. Hinc & hoc elicitur: ſi naturaliter mouetur, quẽadm. iã demonſtratũ eſt, principij motus neceſſario habebit internũ, proin etiam naturã: Si naturã; Naturalis neceſſario.

4. Aureus dens eum finẽ eſt conſecutus, quẽ reliqui oſſei. Siquidẽ non tam hic, quã

ille cibos oblatos contriuiſſe & mãdaſſe ab Horſthio perhibetur, citra vllã eius mutationẽ. Quod ſanè haud leue φαινόμενον eſt, effectus naturalis. Nã natura finẽ minimè aureo dẽti vltimũ attribuiſſet; nî etiam formã naturaliter elaboraſſet. Illud nẽ quęſo, quod finẽ vltimũ, ad quẽ natura quodlibet deſtinare ſolet, ſortitũ eſt, κατὰ φύσιν generatũ negabim⁹? Si igitur finẽ natura habet, cur nõ formã? Si formã quare naturale eſſe dubitabimus? Nec refert, aureus ſit vel oſſeus dens: Perinde eſt, modo vſum finẽque dentis habere à natura conſentiamus, ſcientes auri finem eſſe multiplicem.

5. Quinimo vis auri illa occulta in dentem trãſiens aureũ, naturę motũ & induſtriã ſingularẽ cõprobat q̃ maximè. Nã vix locus cõmodior aureæ iſti materiæ affuiſſet generãdę, q̃ illi ipſi alueoli, dentiũ loc⁹ naturalis, ad quẽ ſcil. natura in corpore Sileſii pueri vim auriferã ſubuexit, ibiq; aureũ dẽtẽ δυνάμει τῇ χρυσοποιητικῇ pręſente ꝓduxit, ei vſum & operationẽ dentib. omnib. propriã cõmunicãs.

7. Nullis aliis argumentis naturale effectũ & dentem naturalem καὶ κατὰ φύσιν genitum arguentibus, vnicum hoc ſufficere videtur: quod videl. præter finẽ dentis naturalis formam etiã ſpeciemq; eiuſdem ſit aſſecutus. Id quod Horſthius hiſce verbis facit palàm. (*Aurum aperto pueri ore ſtatim ſplẽdere video.*

dentem

dentem tango, rotunda figura, in ſumma ſuperficie aſperum, quatuor apicibus, ac media cauitate, de more maxillarium, magnitudine eadẽ, aut paulò maiori, numero ultimum, &c.) Nec intereſt, quanquam hic ex auro, reliqui ex pituitoſis & viſcidis ſuccis ſunt concreti. Nihil ſiquidem niſi nobilitas materiæ infertur.

7. Ad poſtremum, quotidiana compertum eſt experientia, præter lumbricorum aliquot differentias, varij generis animalia, & beſtias, vt glires, bufones, mures, ranas, &c. in humanis corporibus naſci, partim αὐτομάτως ex humorum putrilagine, & eorundem corruptione, partim materia ſpermatica per eſculenta illorũ animalculorum inſeſſu emiſſo ſeminali excremẽto polluta, eo translata. Ex hulceribus ſordidis καὶ κακοηθέσιν quoties pilorum, vnguium, calculorũ, fragmenta ex humorib. putridis coalita eximũtur? Quin & vermiculi caudati ac inſolenti & horribili forma beſtiolæ in febribus maximè contagioſis & epidemicis eiiciuntur. Nuper viduæ, cui nomen eſt Seytzen / Ratiſponenſi, pauperculæ homini, anorexia perdiu, tuſſi item & aſthmate, cardialgia & dolore capitis laboranti, me aliiſq; medicis incaſſum curantibus, tãdem Extractũ Turbith exhibeo, quod deiectis aliquot vitioſis excrementis, Lacertum viuum, ægra nihil huiuſ-

huiuſmodi ſuſpicante, aluo expulit; deſinẽtibus iam commemoratis ſymptomatis, & ægrotante Dei benedictione ſingulari, uſuque vini ſublimati abſinthiaci poſt lacerti excretionem ſorbillandi, priſtinæ ſanitati reſtituta. Prætermittam iam ranarum colluuiem menſe Maio ex Paulo Fiſchero celebris cœnobii Emeramini ſcholas frequẽtante expurgatam, qui cruciatu maximorũ vétriculi dolorum penè confectus, Dei ſingulari clementia & gratia reſtitutus iã bellè viuit. Quod ſi itaq; calor noſter natiuus pro ſubiectæ materiæ ratione atq; diuerſitate, vndecunq; illa originẽ ſuam duxerit, tã varia animantium genera naturaliter producit, & ab eodẽ animãtur: cui abſurdũ anileq; videbitur aurũ purum in puero ruſtico κατὰ φύσιν produci & ex eodẽ dentẽ fieri naturalẽ?

3. Ζητούμενον.

COMMODE NVNC IVREQVE quæritur; undénam λόγος ὁ χρυσοποιητικὸς ſeu vis aurifera τοῦ χρυσοδόντος vel aurei dentis ortum ſuum habeat?

R.

MAteriam dentium ἁπλῶς naturalium materię metallari ſimilẽ eſſe ipſa docet αὐτοψία. Quid enim illa aliud, quam humor viſcidus & tenax, ſuccuſq; concretus,

quem minerali tamē natura inſtructū proximam materiā omnium metallorū eſſe in prima tua diſputatione, Ienæ Anno 90. defenſa, doctè abs te demonſtratū eſt. Eā itaq; virtus & potētia χρυσοποιητικὴ vt materiā nō planè ineptā (quamq̃ variam alterationē ſuſtinere prius illū ipſum humorē viſcoſum oportet, quā habilis reddatur ad auri λόγον cōcipiendū) nacta facilimè in ſui poteſt tranſmutare naturā, ac inde aurū, & mediāte formatrice facultate, dētem aureū producere. λόγος autem χρυσοποιητικὸς & virtus materiā dentis aurei primò informans, an à parentibus mediante ſpermate in infantē immiſſus? Si ſic, aurum antè actu in parētibus extabat, aureique quiddam in ſeſe habebāt. Alioquin auri δύναμιν per ſemen fœtui impertire haud potuiſſent. Sed aurum in parentibus Sileſii conſpectum eſſe haud conſtat. Et, quamuis χρυσοποιητικὴ δύναμις ipſis parentibus fuiſſet, quæri tamen poſſet: cur non iis aureus dens vel eiuſdem generis aliud tanto temporis curriculo & in tāto caloris natiui vigore natum extitiſſet?

An per variam digeſtionem & craſium mutationē profecta eſt δύναμις iſta aurifera? At cur per tot annos non ſimile in aliis hominibus prodiit effectum, cauſis generationis æquiualentibus? Cū alias poſitis cauſis naturalibus ſufficientibus & non impeditis

ditis poni effectũ neceſſarium ſit. Nec obſtaculum in omnibus indiuiduis cõcedi vel debet vel põteſt. An ſuperueniſſe λόγον καὶ δύναμιν auri dicendum eſt, & translatum ſemẽ auri per eſculenta & pôculenta? Etenim neceſſe eſt, vt ab actu exiſtente ſimili hic aureus dens ſit factus, & ſubſtantia vniuoca actu ante extiterit, quam hoc aurum natum. Veriſimile. Si enim inſectorum & aliorum animalculorum ſemina in hominem per diætam transfunduntur, cur non pari ratione ſperma χρυσοποιητικόν? An non ineſculẽtis & poculẽtis vis auri deliteſcere ſpirituóſa poteſt, atque in homine aſſumpta ſuppeditãtẽ materia idoneâ & cauſis potentiá in actum prouocantibus, paulatim in aurum actu abire? Perluſtremus fornaces metallicas, nonnẽ parietib. earum multa corpora metallicá adhęreſcũt, exhalationib. mineralib. eò appulſis atq; cõgelatis. Nec mihi aduerſor, dũ exhalationes & fumos metallicos hic ꝑ materia pono; agnoſcẽs hos ꝑ primarũ quadã; ſuccũ mineralẽ ꝑ vltima metallorũ materia.

Quin potius, ſi in aëre metalla nata ſunt, naſciq; poſſunt, Auicẽnæ autoritate perhibẽte & ratione nõ repugnãte, metallicis vid. vaporib. ex mineris terrę aëri vicinis ſurſum elatis: abſurdum & pręter naturam omnem minimè videatur eſſe, fruges & alia eſculentorum genera, eiſdem exhalationibus

mineralibus,quibus mineræ abundãt,poſſe imbui & in corpus humanum delata ſui generis metallum producere. Quis igitur negabit aut dubitabit λόγον χρυσοποιητικὸν pari modo in corpus Sileſii irrepſiſſe: & materiam idoneam ibidem adeptum aurum effeciſſe.

4. Ζητούμενον.

AN Ο ΧΡΥΣΟΔΟΥΣ *SEV DENS aureus ἁπλῶς naturalis καὶ κατὰ φύσιν.*

NVnquam, credo, auditum eſt, in humano corpore vel dentem, vel aliud quiddam aureum eſſe natum: propterea etiam fatendum eſt, dentem hunc aureum παρὰ φύσιν πῶς præter communem & vſitatum naturæ curſum eſſe; ideoque etiam in numero τῶν τεράτων ſeu miraculorum ponendum,tum loci tum dentis ratione.

Præterea nihil ſimul ineſſe video, τὸ παρὰ φύσιν ἅπασαν καὶ ὑπὲρ ὑμᾶς: Sed planè naturaliter inſtar aliorum dentium & mineralis auri natus exiſtit, concurrentibus iis cauſis quæ in mineris terræ ad auri generationem neceſſariò requiruntur. Hæc itaque ſunto, quæ de dente aureo obiter aperire volui,tũ vt petitioni tuæ locum darẽ, tum vt tuã de eâdem materiâ ſententiam elicerẽ. Errori,ſi quẽ forſitan cõmiſerim,ignoſces,in tẽporis Breui-

breuitatem & negotiorum multitudinem culpam deriuaturus. Vale vir doctiſſime, amice integerrime, meq; amore ſolito proſequi perge. Dabantur raptim Ratiſponæ 20. Iulii Anno τῆς θεογονίας cIↄ. Iↄ. XCV.

MART. RVLANDI F. MEDICI DOCTOR.

ΑΝΤΑΠΟΚΡΙΣΙΣ.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

AD RESPONSIONEM.

M. Ioannis Ingolſtetteri Norinbergenſis.

DE DENTE AVREO PVERI Sileſii.

REPREHENDIS me, Ingolſtettere, primum, quod à principio ſtatim promulgati mei iudicii, naturam, naturalia, non naturalia, &c. tam fusè quam diſtinctè non explicuerim; homonymiæ & confuſionis euitandæ nomine.

αὐτοσχεδίασμα ſcripſi, & ad D. Libauium virum philoſophum; cui meam de dente aureo ſententiam aperire volebā, nullis verborum lenociniis, nullisque ambagibus uſus.

ſus. Integrum hac de re tractatum ſcriptitantem talia prælibare & omnia ad viuum reſecare oportet: quemadmodum D. Libauium otio abundantem literario facturum ſpero. Sed nec omninò ἀνίπτοις χερσὶν (vt dicitur) ingreſſus mihi videor. Nonne cuilibet queſtioni diſtinctos titulos prefixi, breuiter eas tractaturus?

Quid? ne ipſe philoſophus 2. *phyſic.* vbi de natura rebusque ex ea ex profeſſo agit, ita prolixus apertusque? An propterea reprehendendus? At hæc vilia ſunt, reſponſoque indigna. Diſpiciam tua, quæ contra primam cogitaſti quæſtionem meam.

Παρὰ φύσιν ἁπλῶς, aio, ea dicũtur fieri, q̃ ſine vllis cauſis ſecũdis, quas humana rõ pſpicere queat, id eſt, omninò naturaliter fieri non poſsũt. Hęc refutare cupis, opponẽdo ἀναλογίαν & cauſar. cognitione vidua inferẽs.

Obiectio Ingolſtet. contra 1. quæſtionem. *Quorum cauſas humana ratio perſpicere nequit, ea facta ſunt παρὰ φύσιν ἁπλῶς: Magnetis trahentis ferrũ cauſam humana ratio nõ percipit. Ergò Magnes eſt παρὰ φύσιν ἁπλῶς*

Reſp. Rul. R. Erras τρόπῳ τῆς διαιρέσεως, arripisque ea, quæ à tua phantaſia ſtare videntur, diabolũ ęmulatus 90. pſal. impoſtoriè Chriſto tentato obiicientem, & perſuaſurũ ei ad λατρείαν. Quippe παρὰ φύσιν ἁπλῶς ea dicuntur fieri, quæ ſine vllis cauſis ſecundis fiũt &c. Hæc & potiora tu omittebas. Petrus aquis inambulauit ſine vllis

llis cauſis ſecundis, in quas mens penetra-
e poteſt. Ergò παρὰ φύσιν ἁπλῶς, inceſſus in
quis. Ἔνστασις de magnete nulla. Magnetis e-
im motus ad ferrum, ſeu ferri potius ad
Magnetem videtur quidem humanum ca-
ptum ſubterfugere: nequaquam tamen eſt
περ ἀνθρωπίνην σύνεσιν; quemadmodum τὰ
παρὰ φύσιν ἅπασιν. Cur Magnes trahat fer- *Magnes cur trahit ferrũ?*
um reſpondet Cardanus, cui conſentit Sca-
ger *exercitat.* 102. 131. Vtriq; penè aſtipula-
ur Fracaſtorius *libr. de antipath. attractione & motu ſimilium ad ſimilia, cap.* 5. Quorum
entẽtiam malo te locis citatis cognoſcere,
quàm verba me ſingula operosè appingere.
Atqui, ſi omninò cauſa καὶ τὸ δι' ὅτι captum
humanum lateret, vt huius effectus, ita & a-
liorum multis abditorum: nequaquam ta-
men ſequi fas eſt, ſine cauſis naturalibus illa
fieri vel facta eſſe. Quandoquidẽ naturalia
eiuſmodi eſſe & principiũ motus atq; quie-
tis primò & per ſe habere cuilibet conſtat;
proinde nõ niſi κατὰ φύσιν agere, quomodo-
cunq; naturâ agant, nobis etiã actionis cau-
ſam neſcientibus, fatendũ eſt. Reuoca Ma-
gneté. Hic certè naturalis eſt te ipſomet te-
ste. Si naturalis, nõ niſi naturaliter aget, tra-
ctionis cauſa licet clam te aliisve ſit. Idem e-
sto de aliis iuditiũ. Imò, quia nouimus hæc
vel illa effecta natura edita non eſſe præ-
ter & contra naturam ſubiectorum ſuo-

rum; pateſcit τῶν ἐνεργημάτων cauſa, quanquam plurimis ex debilitate τῆς διανοίας vel ignauia potius inacceſſa, ſecus τῶν παρὰ φύσιν ἁπλῶς, quæ ſine vllis cauſis ſecūdis rationi humanæ perſpectis fieri dicuntur. Quæ tete dextrè proferre & nō mutilata arrodere decebat. Pergis annexum etiam hoc carpere, quaſi obſcurum per æquè obſcurum explicem, dum dico, *id eſt, omninò naturaliter fieri non poſſunt.* An obſcurum exponatur obſcuro; exempla addita perhibent. Vt quando Enochi vel Eliæ corpus in cœlum ſublatum eſt. Hic motus, quamquam, quoad genus, phyſicus eſt, reuera tamen hyperphyſicus; quod à principio ſuperiore, ſeu diuiniore externo & proin παρὰ φύσιν ἁπλῶς ortus. Nunquam enim probaueris corpus humanum ἔγκλισιν naturâ habere ſurſum ad cœlos ferri. Hoc negato, quid aliud eſt, quā omninò non naturaliter iſtud fieri, effari.

2. *Ingolſtett. obiecta.* Deinde, ais, *multa omninò naturaliter fieri non poſſunt, quæ tamen non παρὰ φύσιν ἁπλῶς fieri dicuntur. Lectica & Statua omninò naturaliter fieri nō poteſt, 2. phyſic. vt nec aliud quid artificiale: quæ tamen, cum fiunt, non ſimpliciter præter naturam fieri dicuntur. Habent enim naturalia aptitudinem recipiendi formas artificiales (quia ſunt earum principium 2. de anima) præſertim illas, quæ non niſi inſtrumento rei naturalis fiunt.* Hactenus tua.

Artificioſa effecta obiicis omninò naturaliter non fieri: non tamen ſimpliciter præter naturam fieri, dici eadem. Ariſtotel. inſuper 2. Phyſic. ad tuam trahis mentē. Quid quæſo omninò non naturaliter fieri, quàm negare cauſas naturales omnes? His negatis quod factum eſt, annon τὸ παρὰ φύσιν ἁπλῶς? Me pro vno & eodem poſuiſſe, omninò non naturaliter fieri: & ἁπλῶς παρὰ φύσιν fieri, exempla ſubdita arguūt. Neutrum etenim omninò nō naturaliter fieri poteſt. Artificialia quamquam δύναμιν & aptitudinem habent recipiendi formas artificiales, an propterea participabunt naturale? Hæc enim aptitudo inſita nôn eſt, ad naturalem motum, ſed accidentalis & externa ad artificialem, proinde naturæ vel naturalis nomine minimè cenſenda. Imò, naturalia aptitudinem habere ſuſcipiendi formas arte effictas, opifices negabunt. Si enim apta ſunt ad ſpecies artificiales, cur artifices tanto labore materias arte effingendorum primò præparant, habileſq; reddunt ad illam effigiem inſculpendam, quam in animo habent?

Exemplum Chriſti aquam in vinū tranſmutantis Ioan. 2. heterogeneū eſt, & ἁπλῶς παρὰ φύσιν. Quia aquæ nulla ad vinum ineſt ἐπιτηδειότης, nulla facultas naturalis, cuius ratione in actum permutetur naturalem.

Ais

Si artificialia aptitudinem recipiēdi formas artificiales à natura cōſecutæ ſunt, huius ſanè reſpectu natura inclinante perficientur. Hoc abs te cōceſſo, concedere te quoque oportet, artificialia non fieri omninò non naturaliter.

Artificialia autem non ſimiliter præter naturam fieri: & eadē omninò naturaliter fieri nō poſſe, nonne apertā implicant contradictionē?

Cur aqua in vinū Ioan. 2. converſio ſit ἁπλῶς παρὰ φύσιν.

Ais quidem, *cauſas ſecundas omnes excluſas nō eſſe: Adhibita enim eſt aqua, quæ licet cauſa proxima non ſit: non eſt tamen adeò remota; propterea quòd ſymbolum habeat cum vino, quorum facilior ſolet eſſe tranſmutatio, quàm quorum nullum*, teſte philoſ. 2. de generat. & corrupt. Fateor cauſas ſecundas excluſas non eſſe, aquam videlicet: propterea verò ſecundum naturam quodammodo trāſmutationem aquæ in vinum fuiſſe pernego. Quippe tranſmutatio iſta facta eſt à Christo momento, nulla φυσικῆ δυνάμει vini præexiſtente. Si ſymbolicè aqua vino conuenit, & eatenus facilè naturam vini ſuſcipit, cur non vel arte vel natura ſponte tandem factum eſt vinum ex aqua? quemadmodum elementa aliaque ex his facilè commutantur, quando vel ſymbolicis qualitatibus, naturalibusque δυνάμεσι concordant. Symbola autem & ſociæ qualitates vini cum aqua quænam?

An aqua cū vino ſymbolica ſit?

Aqua frigida & humida abſolutè: Vinum calidum & ſiccum per ſe, *teſte Hip. de victus ratione*, *Gal. 8. ſimpl.* & demonſtratore acuto Fracaſtorio *in lib. quem de vini ſcripſit temperatura*.

Ad hæc Aqua elementum eſt ὁμογενὲς, vinum ſubſtantia heterogenea. Quod igitur aquæ cum vino fœdus ſymbolicum?

Aquea vino multa mixta eſſe largior; ſed

quia

quia illa non de vini eſſentia, (id quod vinum generoſum, ardens & vetuſtiſſimum quoduis, rationibus cæteris prætermiſſis, oſtendit euidenter) nequaq̃ aqua & vinum ſymbolica eſſe dicendum eſt. Baculus Moyſis in ſerpentẽ conuerſus, nónne conuerſus παρὰ φύσιν ἁπλῶς: quia μέθεξιν ωσεις: quia momento: quia in baculo re naturali, nullatenus φυσικὴ δύναμις: Alioquin huius gratia ſingulis menſibus ſi non quotidiè ex baculo, neceſſitate φυσικῆς τῆς δυνάμεως ſerpentes progenerarentur. De aqua in vinum verſa nónne par vbique ratio? Denique ſi non adeò remota cauſa eſt aquæ, cuius ἐμφύτῳ τῇ ὁρμῇ fieri poſſit vinum: neceſſe eſt particularem propenſionem in aqua ad formam vini eſſe. Hoc quam falſum ſit quotidiana aquæ tranſmutatio perdocet.

Idipſum *Ariſtot. 1. phyſic. cap. 5.* voluiſſe ex hoc patet; *quando*, inquit, *album fieri ex non albo, neque tamen ex omni non albo; ſed ex nigro vel medio*: ſignificaturus illud album accipiendum eſſe non vt negationem & puram abſentiam albi, ſed talem, quæ coniunctum habens alium colorem, notet poteſtatem proximam ad album. Quibus ſanè poteſtatem remotam reiecit, propinquam duntaxat agnoſcens.

Παρὰ φύσιν porrò, *modò latè modò anguſtè accipi* non reclamo: *neutro tamen modo* 3. *Obiect. Ingolſtet.*

rectè

rectè ea dici παρὰ φύσιν *eſſe* ὑπερφυσικά. *Sed contra hyperphyſicum eſſe* παρὰ φύσιν. *Deniq; Ariſtotelicos* ὑπερφυσικὰ *dicere metaphyſica* cur nō oppugnarem? reſponſione in antecedentibus luculenter data, Ariſtotelicorum ὑπερφυσικὰ metaphyſica indigitare ſcio neminē, te ſolo excepto, qui primus iſte mihi ὀνομαθέτης. Ariſtotel. 3. *de cœlo*, inquit: *eſſe namq; rerum aliquas ingenitas, omninoq; immobiles ad aliam magis atque priorem, quam ad naturalem conſiderationem ſpectat. Lib.* 1. *de ortu & interitu & 4. de ortu animalium, cap. vltimo, & 3. 6. Metaphyſicorum, 7. idem Metaphyſicum verſari* ait *circa ſubſtantiam immobilem.* Si itaque Metaphyſicum, id eſt, quod ἀπαθὲς ἀκίνητον, immobile, ἁπλῶς ὄν: quo ore, qui Ariſtotelicus vis haberi, ὑπερφυσικὸν appellabis metaphyſicum? Annon hyperphyſica mobilia, generata, φθαρτά, ὑπὲρ tamen φύσιν καὶ παρὰ φύσιν ἁπλῶς? Quocirca meæ deſcriptiones τῶν παρὰ φύσιν ἁπλῶς καὶ ὑπερφυσικῶν integræ demonſtratis manent.

Reſp. Rul.

Metaphyſica qua.

Neganti hoc ad poſtremum tuæ peruicaciæ refutandum repono. Si Ariſtoteli ſummo philoſopho, 8. *Phyſic. & 3. de cœlo*, id dicitur ſecundum naturam cieri, quod à ſe ipſo mouetur; vel quorumcunque principium tale eſt inſitū ipſis, vt moueri poſſint, hæcque omnia dicimus naturaliter fieri: præter naturam & non naturaliter, *teſte eo-*

Secundum naturā qua?

Naturalia qua?

dem

dem Philoſ. locis delibatis, dicentur illa cieri, quæ ἔμφυλον ὁρμὴν τῆς μεταβολῆς & naturalem facultatem eam non habent, cuius gratia in hunc vel illum actum permutetur naturaliter. Contrariorum namq; contrarius λόγος. Secundum naturam ἁπλῶς, & παρὰ φύσιν ἁπλῶς ſunt ſanè oppoſita. Ergò. Negare igitur cauſas ſecundas, annon ipſam naturalem eſt operationem, naturamq; negare ipſam?

Reliqua omnia quæ ſequuntur, tantum abeſt meam refellere ſententiam, ut hanc potius magis confirment. Duo tamen ex polylogia & acribologia prætermittere vix queo, quin obiter attingam excutienda.

1. Malè dicis *negari hyperphyſica, quæ naturales habent cauſas, eaſq; ſecundas. Quando, exempli cauſa, excitato Africo vento ad populi Iſraelitici concupiſcentiam carnium ſecundam, congregabantur coturnices, cauſa naturali eaq; ſecunda fiebat. Aurâ enim vehi volunt coturnices, teſte Plinio, propter pondus corporis.* *Aliud obiec. Ingolſtet. hyperphyſica participare cauſas naturales.*

Iſtáne congregatio propterea hyperphyſica non erit, quia DEVS ventum excitans, medio vtitur naturali: Theologorum hìc eſt reſpondere. Mallem medica aut homogenea. Ventum autem iſtum naturali modo excitatum vix conceſſero. Cur enim diuina virtute productus? Si naturaliter fa- *Reſp.*

ctus

ctus, cur ſponte nō prodiit ſua iniuſſus? Medium itaque ventus ſcil. quamquã videtur naturale, quatenus tamen hyperphyſicum promouit vt inſtrumẽtum, eatenus hyperphyſici rationem habebit? Verba Pſal. 78. ſunt manifeſta: *Abſtulit Eurum de cœlo & induxit virtute ſua Africum. Et pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris, volatilia pennata.* Naturaline & conſueto modo concitatus fuerit ventus inſtrumenti vicem gerens, ex verbis iſtis manifeſtum eſt. De reliquis exemplis theologicis abs te in mediũ prolatis, par meũ iudicium. Nec refert, mediúmne aptum vel ineptum, vt tute ineptè cenſes, adhibeatur. Medium ſiquidem nullum omnium tuorum exemplorum adductorum aptum intimè conſideratum exiſtit. Panes exigui, piſciculi paruuli infinitam *Ioan.6.* multitudinem hominum ſaturantes, fuêrene medium aptum ad nutritionem tot, tantorúmque mortalium?

Si áptum medium, cur miraculum? cur hyperphyſicum? Panes iſti vix vnum eſurientem expleuiſſent, nedum infinitam hominum vim. Quare planè ineptũ medium ſunt panes & piſces, quantitate hyperphyſica adminiſtrati, comparatione eorum, qui inde ſaturati fuêre.

Περὶ τῆς ὑδρεινάν αγῆς, ſeu aquæ in vinum

num conuerſione dictum eſt ſuprà, & medium aptum omninò proſtratum. Pari momento planè inepto medio fieri dicetur; ſi ex lapidibus DEVS ſibi excitaret filios Abrahæ. Quamquam tu tantam ineptitudinem hìc minimè agnoſcas, materiæ capacitate, cuius gratia in Timæo τὸ πανδεχὲς dicitur, illuſus.

2. *Petrum* ἐπὶ τὴν θάλασσαν περιπατοῦντα, *negas hyperphyſicum fuiſſe; ſed detentionem potius aquæ id quod contra naturam eius eſt, præſente corpore diuidente:* ἀντίφημι. *An Petrus aquas hyperphyſicè calcarit?*

Quicunque corpore ſuo ambulat ſuper vndas maris, corpore habente & retinente naturales ſuas proprietates, ille ſupra naturam & hyperphyſicè ambulat. Petrus corpore naturali aquis inambulabat. Ergò. Propoſitio haud alia indiget demonſtratione, natura rei per ſe conſpicuà. Minor probatur ex textu *Matth. 14.* βλέπων δὲ τὸν ἄνεμον ἰσχυρὸν, ἐφοβήθη, καὶ ἀρξάμενος καταποντίζεσθαι, ἔκραξε λέγων, κύριε, σῶσόν με.

Si enim amiſiſſet corporis naturales proprietates, corpus ſcil. graue & ſolidum, non cœpiſſet mergi fide deficiẽte & antè corpus graue alleuante. Quomodo igitur non hyperphyſicũ erit, mergi πεφυκὸς & natũ corpus Petri, nec tamẽ ſubmerſũ fide videlicet ponde-

pondere corporis ſuſpenſo ne mergatur?

Quomodo fide contentas aquas dixeris, non inhibito agente prius? Diuidendum & diuidens ſunt ſanè τὰ πρός τι. Illo non diuiſo, neceſſe eſt hoc aut non poſſe aut præpediri ab actione ſua diuiſionis.

Patientis enim præpeditio arguit facultate agentis inhibitionem. Accedit & hoc, quod textus docet, *fide iam hebeſcente Petrum ſubmergi incepiſſe.* Quod argumento eſt euidenti, corpus Petri natura deorſum in aquis tendere pronum, fide ſua firmiore antè ſuſtentatum eſſe. Calcante itaque Petro aquas hyperphyſica fuit inambulatio, corpore aliàs natura ſubmergẽdo. Quamquam & hoc miraculoſum cenſendum, Petrum inceſſiſſe ſuper aquas, fluxiles tamen & humidas, diuiſioni, præſente corpore diuidente, natas. His autem decretis non inferendum temerè, auferri ſic à corporibus grauibus grauitatem. Illatio, inquio, nulla.

In his enim actus ſecundus ordinarius ſuſpenditur duntaxat, repreſſus cohibetur, interrumpitur actu nouo & ſingulari cedẽte creatura omnipotentię creatoris: nõ tollitur actus primus, multo minus deſtruitur ac perimitur eſſentia rei. Natatus hyperphyſicus non eſt, quia cauſis ſecundis comparatus, eisdem exercetur. *Ariſtot. 8. phyſicor.*

ſcor. docet; Ea verò natura moueri dicimus, quorum principium motus in ipſis ineſt.

Quamobrem totum quidem animal, naturâ ſeipſum mouet: corpus tamen & naturâ & præter naturam moueri poteſt; intereſt enim tali an tali moueatur motu, & ex quo elemento magis conſtet. Partes inſuper animalium ſæpenumerò pręter naturam mouentur ob poſitiones motusque modos. His edoctus, ſi nare partim præter naturam, partim ſecundum naturam eſſe dixero, videbórne hallucinatus? Hactenus nolens volens in λογομαχίᾳ; rem iam ipſam aggreſſurus, & quidem alterum ζητούμενον: in cuius refutatione vtinam te validiorem viderem.

REFVTATIO

Ingolſtetterianorum aduerſus ſecundam quæſtionem.

1. Credamus itaque Horſthio) *Examen auri puri puti aſſcribis Diabolo; quaſi hic ſtigmata illa lapidis Lydij adeò firmando, vt etiam poſt linimentum aurificum permaneant, perſtringere mortalium oculos queat.* Eiuſdem ſententiæ tecum ſunt multi. Diabolum multa quidem præſtare poſſe, non eo inficias: τὸν χρυσοδόντα verò ſeu aureum dentem Diaboli ἔργον eſſe apparenter tale, non *1. Obiect. Ingolſtett.* *Reſponſ.*

tam aſſerere quàm exactius probare par eſt. Suſpicione mihi non ſatisfit. Nec probatur hoc dogma Horſthio ob cauſas, quas in ſuo recenſet libello de dente aureo edito.

2. Obiect. 2. *Sed inquis, eſto; verum eſſe aurum: quid inde? aurum ne faciet, aut dentem aut generationem eius naturalem? Nequaquam. Alia enim eſt dentis natura: aliáque eius materia.*

Reſponſ. Dixi αὐτοψίᾳ, λόγῳ & examine Horſthij per lydium lapidem aurum probatum. Inde ſic argumentabar. *Si purum putum aurum; naturale erit. Prius verum: Ergò & poſterius.* Negas connexum; quia alia dentis natura eſt; alia eius materia. Includenda tua ſyllogiſmo.

Quicquid natura & materia variat à natura & materia dentis, illud non eſt naturale. Aurum hoc dentis aurei diuerſum eſt φύσει καὶ ὕλῃ *dentis natura & materia: Ergò.*

Propoſitionem tibi tyrones phyſices negabunt vt abſurdiſſimam. Quid enim iſta verà exiſtente, non erit non naturale? Dein præter rationem natu[r]am & materiam dentis diuerſam aſtruis. Annon quod naturam dentis habet, etiam habet materiam? Hæc enim nihil abſque natura ſua eſt. Hæc dat materiæ καὶ λόγον καὶ ὄνομα *teſte Philoſopho 2. phyſicor.* Proin ſi quid naturam dentis habet, habebit & materiam. Illa enim non poteſt eſſe abſque determinata ſua materia o-

ria omninò naturaliter. Alter ſyllogiſmus qui ex prioribus his colligitur eſt eiuſmodi:

Quod materia & natura diſtat etiam naturale a naturali dente, neutiquam dens naturalis erit. 3. Obiect.

Aureus hic dens ſeu aurum hoc (vt prioris minorem illibatam antè confirmem ſimul) *natura & materia diſpar eſt: Ergò.*

Elenchus eſt κατά τι. Aureus hic dens licet materia & forma videatur differre à naturali dente ſimpliciter tali; nequaquam tamen negare conuenit ipſum illum participare naturales cauſas, & πῶς naturalem dẽtem eſſe, quemadmodũ deinceps pluribus. Reſponſ.

Exempla, quibus aureũ dentem etiã naturalem conceſſum, naturaliter non natum probare molitis, incaſſum abs te adducuntur. Admiramur piè & reuerenter Chriſti generationẽ, Chriſti ſaluatoris noſtri conceptionem: hanc hyperphyſicã agnoſcentes, illã non omninò. Si vt affirmas, Chriſtus in vtero matris ſecundum carnẽ incremẽta ſumpſit & à principio interno, more aliorũ embryonum, quid ꝓhibet illũ ipſum naturaliter generatũ in vtero matris, cõfiteri, & contrà negare, phyſicè conceptũ; Aliud eſt cõcipi παρὰ φύσιν ἁπλῶς, aliud naſci κατὰ φύσιν ἢ ἁπλῶς ἢ πῶς; quod te diligentius perpẽdere velim. Primorum parentum generatio

4. Obiect. *Ingolſtetterus valdè ineptè negat Chriſtum naturaliter natum.*

Reſponſ.

An Ioannes Baptiſta hyperphyſicè an naturaliter natus.

non eſt eadem vt tu falsò cenſes. Creatio quippe erat protoplaſtarum, nō generatio. Ioannes Baptiſta *Lucæ primo*, neutiquam hyperphyſicè natus eſt, vt nec Iſacus. *Lucæ* 1. habetur quidem: εἶπε δὲ πρὸς αὐτὸν ὁ ἄγγελος, μὴ φοβοῦ Ζαχαρία. διότι εἰσηκούσθη ἡ δέησίς σου. καὶ ἡ γυνή σου ἐλισάβετ γεννήσει υἱόν σου. An ex hiſce verbis hyperphyſicum effectum arguere verè potes aut hyperphyſicam actionem? Non fidem habebo, niſi validius demonſtratur. Num ex his: καὶ εἶπε Ζαχαρίας πρὸς τὸν ἄγγελον, κατὰ τί γνώσομαι τοῦτο, ἐγὼ γάρ εἰμι πρεσβύτης, καὶ ἡ γυνή μου προβεβηκυῖα ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῆς. An ex citatis patet τὸ ὑπερφυσικόν? Quare ergò ibidem narratur; μετὰ δὲ ταύτας τὰς ἡμέρας συνέλαβεν ἐλισάβετ ἡ γυνὴ αὐτοῦ. καὶ περιέκρυβεν ἑαυτὴν μῆνας πέντε, λέγουσα, ὅτι οὕτω μοι πεποίηκεν ὁ κύριος ἐν ἡμέραις ἐπεῖδεν, &c. id eſt; Poſt hos autem dies concepit Eliſabeth vxor eius, &c. Annon naturalis manifeſtè hinc innuitur conceptus? Nónne quod conſueto & naturali tempore perficitur, naturale reuerà eſt & definitur naturaliter natum? Si cæcutis adhibe collyrium, quod craſſiores ab oculis nebulas abſtergat. Nec refert infæcundos & effætos parentes, ipſo Zacharia teſte, antè fuiſſe. Impedita ſiquidem haud dubiè fuit εὐλογία & fœcunditas diuinitus; impedimento ſublato, diuina clementia benedi-

ctioneq;

ctioneque affulgente fœcundus fit feraxque concubitus, nato ſanctiſſimo præcone Ioanne. Si quid contigit hyperphyſici, quod negare ſacer textus interdicit, illud in Eliſabetha agnoſcimus; quæ tot annis ſine liberis exactis, Iehoua iubēte & fortunante fœcundatur, non tamen ſine cauſis naturalibus, quarum reſpectu Ioannes & Iſaac verè naturaliter nati dicēdi ſunt. Senes noſtri, quot hodiè ſuſcipiunt liberos, nunc ex iuuenili, nunc anili ſubiecto? Illic ſæpè effectus negatur, hìc haud citra rationem non tamen cuiuis obuiam, conceditur. Priuatio vtrinque accidit naturâ vel ligatâ à cauſis παρὰ φύσιν medicis, vel impeditâ diuinitus, inuita natura.

3. *Aurum chymicis etiam arte fit: id quod poſt multos alios neruoſiſſimè demonſtrat amicus tuus Andreas Libauius, in συγγραφῇ μεταλλικῇ δευτέρᾳ καὶ τρίτῃ. Quod ſi propterea eius generatio dicenda eſſet naturalis, quid diſcriminis foret inter naturam & artem? Quid dicendum de cæteris artis operibus, maximè iis, quæ æmulantur naturam? Sane naturalia dicemus, quia materiā verè naturalem habent?* 5. *Obiect.*

Examinabimus & hæc. Omnia inepta. *Reſponſ.* Aurū quomodo arte fiat chymicis, doctiſſimus Libauius, quem te non intelligere vel ex allegatis apparet, 2. diſputatione te perdocebit. Arte id quidem fit κατά τι, neu-

Aurum factũ quomodo naturale, quomodo artificiale? tiquam tamen vt reliqua artificialia, quarum eſſe ab arte pendet & externo mouentis principio. Aurum ſic nõ fit arte; quia ars per ſe ſola formã non dat auro. Hoc ſiquidẽ naturæ ſolius eſt. Proin ſi aurum chymica induſtria paratum verum aurum eſt, naturale erit & naturaliter natum: quia ἔμφυτον τὴν ὁρμὴν τῆς μεταβολῆς obtinet, non obſtante artificio humano illud adiuuante & promouente.

Reſponſum igitur patet ad hoc tuum: quòd ſi propterea eius generatio dicenda eſſet naturalis, quid diſcriminis foret inter naturam & artem? Aurum videlicet ſpagyricè quidem fieri, arteque nequaquam tamen eo modo, quo reliqua artificialia ſiç talia. Quare aurum chymicum natura hoc per ſe operante, naturale erit, arte cauſam duntaxat externam quamquam naturalib. proximiorem agente. Cur autem vocetur *Aurum cur artificiale?* aurum artificiale, manifeſtum eſt. Quemadmodum quis pullum artificialem indigitaret, ouo calore artificiali vel fornacis vel alterius loci arte inſtructi ad corruptionem perducto. Aut curationem artificialem, natura tamen per ſe operante. Teſte Hip. iſto celebrato: φύσιες ἰητροὶ τῶν νοσημάτων.

Reliqua verè artificialia aliter ſe habent. Ab arte enim eſſe ſunt adepta, formam ſcilicet

licet artificialem. Nihilominus tamen τὸ εἶναι etiam à natura habent, non tam materiam quàm formam diuerſa conſideratione. Vnde res artificialis hydria, *exempli gratia*, lapidea, quà lapidea, ſuapte natura & inſita vi ſibi atque ea parte, qua naturale eſt, deorſum cadit, interno motus principio ſeu natura ſponte ſua ita concitata: quà autem hydria eſt ſeu artificioſum opus, hoc principio vacat interno, externo artem ſolam profeſſo.

2. Motus dentis aurei geniti naturalem oſtendit effectum. Quippe Horſthio ita referente, *vt hic aureus dens, ita & reliqui omnes ſuccreuerunt.* Si hic aureus dens, vt reliqui reuerà tales, naturaliter natus eſt, naturalis erit. At illud verum: Ergò & hoc. Contrà ſic opponis.

A motu & incremento naturali ad generationem & rem naturalem non licet inferre. Si naturalis eſt hic motus, non propterea tamen generatio erit κατὰ φύσιν. 6. Obiect.

Hoc abſurdiſſimum tibi oſtendit philoſophus 2. & 8. *phyſicor. & alibi.* Vbi locorũ omne id naturale vocitat, quod interno motus principio cietur. Nunc ad potiora tibi tua. *Negàs motum dentis aurei naturalem eſſe.* Cur? *quia non à principio interno. Non à materia. Nam hoc incrementũ naturale nõ eſt auro, ſed dẽtis materiæ: id quod docet ſimilitudo* Reſponſ.

cum cæteris. Non à forma, quia res non formâ ſed materiâ augentur. Non à compoſito, quia quod poteſt compoſitum, id materiæ & formæ eſt. Omnia indigna philoſopho.

7. Obiect. 1. *Motus,* ais, *naturalis non eſt; non enim à principio interno.)* οὐδὲν πρὸς ἔπος. Negatione hac tua ſimplici nihil proficis. Probanti motum naturalem negationem nudam

Reſponſ. opponis. Proin quàm facilè abs te motus naturalis iam demonſtratus negatur, tam facilè à me hìc affirmatur denuò.

8. Obiect. 2. *Non à materia. Nam hoc incrementum naturale non eſt auro, ſed dentis materiæ: id quod docet ſimilitudo cum cæteris.* Quod antè inficiatus es, iam affirmas. Auro adimis naturalem motum, materiæ dentis a-

Quæſtio. ſcribis. Quæ hæc craſſa ſubtilitas? Quæritur vtrum dens aureus ſit natus ex materia dentis naturalis, aut auri materia. Hoc negabis; alioquin fateri te oporteret auri materiam naſci & proin naturali motu ge-

Reſponſ. neratum aureum dentem. Illud liquidò affirmabas, dentis ſcilicet materiam creſcere, id quod ſimilitudo cum cæteris dentibus arguit. Contrà ſic argumentor.

Si in aureo dente ſubſtrata dentis reuerà naturalis materia creuit à non dente ad dentem naturaliter progreſſa; dentem naturalem ſimpliciter prodiiſſe neceſſarium eſt.

Hoc falſum aureus dens euidenter demonſtrat.

ſtrat. Aureus enim dens non oſſeus prodiit. Proin non oſſei dentis materia naſcitur, ſed aurei, id quod ex effecto manifeſtiſſimum.

Propoſitionis veritatem præter ſenſus philoſophus 1. *Phyſicor.* comprobat. *cap.* 5. *libr.* item 2. *de anima cap.* 2. καὶ περὶ ἐδὲ φαινομένȣ τȣ̃ τυχόντος δέχεσθαι τὸ τυχὸν, οὕτω δὲ γίνεται καὶ κατὰ λόγον. ἑκάςȣ γὰρ ἡ ἐντελέχεια ἐν τῷ δυνάμει ὑπάρχοντι καὶ τῇ οἰκίᾳ ὕλῃ πέφυκε γίνεσθαι. Idem docet 2. *phyſicor. cap.* 4. *Non enim ex cuiusq; ſemine quodvis naſcitur, ſed ex tali quidem olea: ex tali homo.* Vtrobique oſtendit nil fieri naturaliter niſi ex materia priuata & determinatâ. Eſt & hoc carbone notandum, aurum te, rem naturalem motu naturali ſpoliare; quaſi Aurum aliud aliquid ſit, quàm quod catalogo naturæ & naturalium eſſet aſcribendum. Interim largior, aurum vt aurum non vt animata nutriri, accreſcere κατὰ φύσιν ἁπλῶς. Poſtea maxima eſt mentis tuæ perturbatio, quando incrementum ſeu augmentum cum generatione ortuque rei confundis. Hæc ſiquidem mutatio eſt à nō eſſe ad eſſe: illud motus à minore quantitate ad maiorem. Hic in accidente occupatur; ille in ſubſtantia, teſte philoſ. 5. *phyſicor. & 1. de ortu & interitu.* Nec anſam præbuit tibi vocabulum meum ſuccreſcere, cuius latum ſignificatum etiam generationibus conuenire palàm eſt. Egoque generari dentem

Aurum non nutritur.

aureum

aureum affirmaui à non aureo dente ad aureum dentem, non augmentari. Iniurius es

9. Obiect. ergò in me. Sed ad dilemma tuum.

An augmẽtum forma, an materia, an compoſito competat. 3. *Non à forma, quia res non formâ, ſed materia augentur. Non à compoſito, quia quod poteſt compoſitum, id materia & forma eſt.* Quæſtio eſt, vtrum res naturalis augeatur formâ, an materia, an ipſum compoſitum. Quid ſentiendum ſit de hac queſtione aliena à noſtro propoſito vide *Ariſtotel.* 1. *de ortu capit.* 5. philoſophos item noſtri ſeculi doctiores, *Schegkium Zabarellam*, &c. Equidem augmentum affectio quãtitatis eſt, quantitas materiæ non formæ. Tum accretio nutritionem ſequitur, nutritur autem corpus non anima. An nutritio & accretio motus ſunt animæ vt agentis primarii, materiæ vt patientis? An malè ſentio, ſi neque formam neque materiam augeri exiſtimauero, ſed ipſum compoſitum. Animal enim eſt, quod ſentit, non anima; neutrum enim ſeparatim ſentit, nutritur, augetur. Auget anima, corpus augetur, augmentum definitur vtroque ſimul, vt motus mouente ſimul & mobili. Ergò eſt actio totius non partis, animalis, non animæ aut corporis, ſicuti acutus ſentit etiam Riolanus.

Eiuſdem ſententiæ eſt Ariſt. 1. de ortu, inquiens. *Augeri & minui conuenit ſubſtantiæ coniunctæ cũ materia.* Cũ ait Scaliger exercit. 101.

ect.15. *Augeri Caſarē, cùm creſcit adole-*
non autem vel materiã vel animam Caſa-
Hic nihil aliud dicit, quàm corpus viuũ
eri, & augmẽtum eſſe compoſiti. Hęc de
egrina quæſtione ſufficiant.

.. Pergis. *De dentium generatione, fiantnė*
cum cæteris partibus in prima formatione
oſt & de nouo, magna apud phyſiologos quæ-
eſt. Si generantur cum cæteris partibus o- 10. Obiect.
ibus, vt ſentit Realdus Columb. ratione &
perientia edoctus, efficitur hunc motum non
naturalem, cum non ſit à principio priore, à
o ille erat, in cuius locum hic enatus eſt. Ex
ſeis enim radicibus nõ niſi oſſeus dens. Das ſi-
e mente ſonum. Quæſtio illa de dentium Reſp.
eneratione, an illi in prima conformatione
n pòſt efformentur, inanis eſt. Siquidem
ertum eſt, αὐτοψίᾳ quotidiana omnes in-
antes dentium expertes in lucem edi. Siq;
ontingeret editio dentibus inſtructa, mi-
aculi loco haberi deberet, quòd admodũ
arò tale quid vſuueniat.

Ad locum Columbi quod attinet; is ſic *Lib. de oſſib.*
onat. *Quod ad dentium generationem attinet;* *1. cap. 10.*
ſcito non paucos putare eos tunc gigni, cùm ex
gingiuis prodeunt, qui manifeſtè errant. Nam
dentes in ipſo matris vtero efformari certò com- *Dentes in vtero matris efformari vult Columbus.*
peri, ſicuti ego perſæpè oſtendi magna aſtantiũ
caterua in matris aluo gingiuis ex ſuis alueolis
perexiguos dentes. Idem in nuper natis, quod
in ex-

in extractis ex vtero, atque etiam in abortibus ſeptem & octo menſium explorare mihi licuit. His ſanè verbis Colūbus nihil aliud aſtruit, quàm dentium materiam, vel potius dentes imperfectos in vtero matris fœtui innaſci. Si enim vltimam formam dentis haberent, vtique prominerent dentium conformatione naturali exornati: Sed hoc quis anatomicorum affirmabit facilè? Aliquid eſſe ἐν τῷ γίνεσθαι, aliud eſt, & iam factum aliud. Illud actum imperfectū denotat: hoc perfectum. Dentes in vtero matris exiſtentium fœtuum formam quidem habēt dentis, ſed cum δυνάμει coniūctam & actu imperfecto, cuius ratione natura in ea parte, quæ perfici debet, adhuc laborat, vt perfectè educatur. Ita Fallopius docet *lib.1.de oſſibus cap.14.* Dentes duo habent tēpora, quibus gignuntur. Alterum quidem in vtero, poſt malarū generationem, quo tēpore duodecim numero formantur in malis, & totidem in maxilla, qui omnes dentes ſed imperfecti ac ſine radicibus latitāt in ſuis alueolis, &c. Falſum itaque tuum eſt connexum hoc: *Si cum cæteris partib. in prima cōformatione dentes fiunt; motus hic nō erit naturalis, cū nō ſit à principio priore, à quo ille erat, in cuius locum hic enatus eſt.* Illud enim diſtinctione opus, quā dedi; hoc omninò negandum. Multa enim ſunt, quæ corpori nō conſtituendo ſed iam

Dentes duo habent tempora generationis.

con-

conſtituto adueniunt, & partes poſtgenitę dici queunt. An has naturalium nomine dedignaberis? Dentes vt dentes corpori conſtituto accedunt poſtgeniti, vt demonſtratũ iam eſt, proptereáne motu naturali priuandi? Pili, vngues, nonné poſtgenita? Ideoné hæc nõ naturalia? Abſit procul. Quid de infante? Hic generatus quidem, at ut homo imperfectus; quia munia, & naturæ & animæ nondum vt homo perfectè, ob organorum vel defectum vel ineptitudinem obit: an idcircò, quod natura adhuc ἐντελεχείᾳ ſua progreditur id quod poteſtate eſt & huius reſpectu imperfectum ad perfectũ actũ educendũ, naturalis nõ erit? Ne dixeris. *An poſtgenita nõ naturalia.* *Infans cur homo imperfectus.*

5. *Ex oſſeis enim radicibus non niſi oſſeus dens.* Do tibi hoc. Nego autem id quo concludis. *Ergò hic dens aureus non naturalis, quia non ex oſſea radice, quia non à principio priore.* Syllogiſmus eſt talis. *11. Obiect.*

Quicquid non ex oſſea radice fit, non naturale eſt.

Aureus dens non fit ex oſſea radice. Ergo.

Forma eſt vitioſa. Fallax etiam conſequẽtia. Quot enim res ſunt naturales in rerum natura, quæ non ſunt ex oſſea radice? Vides lapſum tuum. Nemo vnquam affirmauit dentem huncaureum ex radice oſſea extitiſſe. Sic enim oſſeus emerſiſſet, quemadm. ſupra oſtendebam. Quod ſi hoc ratiocinari pacto voles. *Reſp.*

Qui-

Quicunq; dens ex alia conſtat radice quàm oſſea, nequaquam cenſendus eſt ille naturalis.

Aureus hic dens ex alia (aurea vid.) radice conſtat. Ergò.

Reſpondebo propoſitionem κατά τι veram eſſe. Quippe ſecundum communẽ naturæ curſum dens cunctus homini ex radice oſſea oſſeus protumpere debet; contingere tamen poteſt ex alia radice alium proaſci dentem naturaliter, qui conſideratione cauſarum naturalium reuerà naturalis dici poteſt, etiamſi alterius reſpectu miraculoſus & παρὰ φύσιν πῶς æſtimandus; quẽadmodum de hoc aureo dente indicaui, te tamen refragante.

11. *Obiect.* 6. *Quo ſenſu probas, mutationem potentiæ in actum; alterationem materiæ: & progreſſum à termino à quo ad terminum ad quẽ?* Et hæc, in mea, tua. Cæcutio prô dolor, vt optem mihi acutiorem viſum non ad motum iſtius

Reſp. aurei dentis conſpiciendum, ſed τὰ ὁρατὰ tam cominus quàm eminus aſſequenda. At motus hic rerum naturalium ſenſibus pateſcat omnibus, vidi nondum. Felicem me cenſerem, ſi tam lynceus forem. Si tu mihi ſenſu demonſtraueris motum à non eſſe ad eſſe in dente aureo; age oculos meos nimis hebetes ita acuas, vt & ego aurei quoque dentis progreſſum à quo ad quem perſpicere queam. Ego tamen τὸ ὁρατὸν videre

nolo

nolo. Fruſtrà igitur in gratiam mei laborabis. Sufficit mihi ἡ διάνοια qua & negatio & affirmatio dentis aurei conſtat apertè: vtraque cùm fiat momento, ſenſus haud τὸ νῦν conſequentur omnes nec ſemper, Devs denique nihil nunc temporis creat, nihil abſque mediis naturalibus, quarum & creator omnipotens & conſeruator piè habendus, efficit omnia mediante natura. Nec Diabolus, quicquid veri fabricatur, pleraque eius opera præſtigiæ ſunt Diabolicæ, nihil firmi, nihil naturalis, nihil perpetui de ſe exhibentia. Quare impium & ineptum eſt, ad Devm & Diabolum confugere tum, quando rei nouæ & admirandæ τὸ διὸ τι perſpici protinus nequit, illud perſcrutaturo.

3. Hinc & hoc elicitur: Si naturaliter mouetur, principium motus neceſſariò habebit internum; proin etiam naturam: ſi naturam, naturalis neceſſariò. Tertium hoc meum argumentum ita ineptè eludis. *Falſum eſt antecedens cum probatione. De hac dictum eſt, argumento præcedente. De antecedente dicetur alibi. Nam neque materiam neque formam habet:* Probationem tibi refutati antecedentis mei ſuprà oſtendi nullius eſſe momenti. Exemplis heterogeneis rē tuam totam cōprobas, affirmationibus

nib.&negationib.nudis innixus.Quod non eſt diſputatoris ſolertis. Prodi rationibus firmis inſtructus. Negas antecedens, quod dens aureus neque formam neque materiã habeat dentis naturalis. Inde arguis non eſſe rem naturalem dẽtem aureum. Quid inditii habendum ſit de hac tua argutatione iam indicaui. Nunc ieiunum tuum negatũ ſicco tranſibo pede, te ſic iubente. Tendamus ad quartum meum argumentum.

4.Hoc ita argumentabar loco.

Quicquid finem dentium naturalium proprium, nactũ eſt, illud naturale arguit effectũ.
Dens hic aureus vltimum ſortitus eſt finem dentium naturalium. Ergò.

Maiorem doctiſſimè confirmat Ariſtot. lib.2.phyſicor. cap.8. *Natura enim ea conſtant, quæ à quodam principio, quod eſt in ipſis, continuè mouentur, atq; ad quendam perueniunt finem; ab vnoquoq; autem non ad eundem neq; ad quemuis; attamen ad eundem ſemper, niſi quid impedierit.*

Ariſtoteles hîc vult; Naturales certè ſubſtantias eſſe, quæ ſuo & interno principio motæ continenter, ad finem aliquem tendunt. Ratione verò cuius mouentur, eſt natura ipſa, quę cuiuſq; rei naturalis deſcribit mutationes & viciſſitudines: qua mouẽte non ſubſtantia eadem à qualibet natura, nec ex vna aliqua quiduis caſu quodam naſcitur

citur & temerè, ſed à certa natura definita res naturalis & certa ſemper, nullo interueniente quod impediat, generari conſueuit. Quapropter, quoniam Dens hic aureus finem eum & eundem, manducationem ſcil. ciborum, habet, quē natura vel ſemper vel plerunq; omnibus dentibus ſimpliciter naturalibus attribuere ſatagit, neutiquam debile φαινόμενον erit effectus naturalis finis denti aureo conceſſus, ſed planè ἀναγκαῖον. Dentes verò inſtrumenta eſſe à natura in homine ad communem vſum, nempe ciborum confectionem atque manducationem præcipuè facta, præter *Gal. de vſu partium & Ariſtot. libr. 3. de partib. cap. 1. & libr. 2. de partibus cap. 9.* ipſa conformatio & forma inſtrumentalis dentium euidenter demonſtrat. Cuius namque gratia acuti, aſperi, lati, duri, hac & illa figura efformati. *Dentium vſus & finis quis?*

Verum negas tu manducationem ciborum vltimum finem eſſe dentium hominis. Sic enim infers. *Nam ſic nihil diſcriminis eſſet inter dentem & hominis dentem: Imò lapidem molarem. At permultum intereſt. Vnius rei poſſunt eſſe multi fines.* 13. *Obiectio.*

Equidem artis ſimilitudo & naturę tanta eſt, vt Ariſtotel. 2. *phyſicor.* vtriuſque opera non alia ratione diſtare retur, quàm quod ars atque opifex extrinſecus, natura autem *Reſp.*

intrinſecus machinatur & dirigit ac deducit opus ſuum ab affecto & inchoato opere ad perfectam & abſolutam ſpeciem. Quod

Diſcrimen artificialis & naturalis dentis.

ſi dentem molarem & artificialem pari momento à naturali & humano differre dixero, iam permultum diſcriminis inter vtrunque opus poſitum erit. Vnde haud obſcurum ambobus principiis λόγῳ elato diſtantibus effectum etiam vtriusq; ingenti ſimilitudine diſcrepantiam quandam habere oportere.

In quibus finitio ſeu finis eſt, in iiſdem grati[illegible] extremi priora exiſtũt: & quæ deinceps ſunt aut fiunt, ἐφεξῆς Græci Vocant.

Qui igitur inter manducationem dentium naturalium & trituram molarem interſit, intelligis probè. Quapropter ſi dẽs aureus finẽ eum naturalem habet, quo reliqui ſunt prædíti, neceſſe eſt, illũ ipſum fateri à natura eſſe. Id quod acutiſſimus philoſophus *lib.2.phyſ.c.*8.docet. Verba eius ſunt: *Præterea in quibus aliquis finis eſt, in iis & id quod prius, & id quod deinceps agitur, huiuſce gratia agitur. Vt igitur agitur, ita eſt aptum agi, &c.* Ex quo liquet hanc cauſam finientem ratione primam eſſe, propterea quòd reliquę cauſæ ortus rerum in ipſam retexũtur. Redeam ad tua. *Faciunt autem dentes vt lingua, non ſolum ad nutritionem, ſed & ad loquelam. Et in nutritione eadem hæc ſpectantur: tum vt fiat, tum vt bene fiat. Vt fiat, facti dentes ſunt duri, hâc vel illa figura ad incidendos & terendos vel maſticandos cibos. Vt benè fiat, datus eſt ipſis ſenſus quo diſcernerent*

rent noxia à non noxiis. Illa ſequuntur materiam: hic verò formam, quâ differt ab omnib. aliis oſſibus.

Subſiſtamus hîc pauliſper, nè potiora indiſcuſſa prætereamus. Dentibus aſcribis fines multiplices, nutritionẽ, loquelã & ſenſum. Senſum autem principalem finem dẽtibus affingis. Qua ratione? quia formã ſequitur ille; reliqui materiam. At Ariſt. apertè inquit *lib. 2. phyſ. cap.* 8. materiam non eſſe finem. Sic ſonant illius verba: *Atq; cùm natura ſit duplex, altera quidem vt materies, altera autem vt forma: & hæc ſit finis, gratia verò finis cætera fiant: hæc eſt profectò ea cauſa, cuius gratia reliquà fiant.* Sed & falſiſſimum eſt, reliquos fines, quos tu minus principales deliras, materiam ſequi. Nutritio quippe & loquela actiones compoſiti ſunt, & non niſi à compoſitis & inſtrumentis animatis peraguntur. Vt ergò ſenſus ita & mãducatio loquelaque, vt tecum aphiloſophicè garriam, dentium fines multiplices non materiam, ſed materiã formatam & inſtrumentum compoſitum animatum ſequuntur: imò potius illarum ἐνεργειῶν & operarum gratiâ dentes inſtrumenta compoſita ἔνυλα, formata generata ſunt. Porrò ad loquelam Dentes quidem faciunt ſed non omnes. Etenim ad cõcinnã ſermonis prolationẽ & conformationẽ anteriores ſiue pri-

14. Obiect. — *Reſp.* — *An dentes ad loquelã conducant.*

ores tantùm conferunt, *teſtibus Galen. Ariſtotel. & aliis.* Patet ergò manifeſtiſſime finem hunc minus principalem eſſe, & accidere potius dentibus anterioribus, vt loquelam articulatius pronunciandam adiuuent: quia vocis inſtrumentum aliud naturâ, lingua videlicet, quâ poſitâ κατὰ φύσιν ponatur ἐνέργεια ipſa neceſſe eſt & contrà. Minus principalium iudicium eſto diuerſum.

An ſenſus finis principalis dentium.

Quocirca ſi & ſenſus finis principalis foret dentium naturalium, ille idem erit dentibus maximè proprius. Hoc quam abſurdũ ſit dicere, præter neruoſum genus, cui ſentiendi facultas vt inſtrumento primò & per ſe competit, altercatio veterum & recentiorum nunc dentibus ſenſum aſcribentium, nunc eiſdem illum eundem dementiũ, probè euincit.

An dentes ſentiant?

Accedit quod Dentes nō vſquequaque ſentiant obtuſo ſenſu præditi. Nam citra dolorem notatu dignum lima atterũtur, terebro perforantur, igne vrũtur. Quibus & Hippocrates ſubſcribere videtur, qui dẽtes tum dicit dolere, cum pituita radices eorum ſubierit *lib. de affectionib.* His & Columbus aſtipulatur, negans ſenſum in dente carni ſupereminente. Quomodo igitur dentiũ principalis finis, propriaq; actio ſenſus? Fallopius *libr.* 1. *de oſſibus, cap.* 14. eiuſdẽ eſt ſententiæ, quando inquit: *Sed deſcendam ad formationem, in qua vnum obſeruaui, quod*

omnes habeant cauitatem magnam, aut paruã pro ratione molis ipſorum, quæ cauitas linitur quadam membrana tenuiſſima exactiſſimoq́ ſenſu prædita, quæ in cauſa eſt, ut dentes ſentire videantur. Hinc eſt, quod caloris & frigoris ſenſum habent, humidi autem & ſicci nullum. Neq́ etiam ſolutione continui dolent, niſi hoc ad membranam pertingat. Quî dentes ſentiant?

Rationem hanc puto eſſe, quoniam duri aut mollis aut ſicci vel humidi qualitas ſtatim non communicatur membranæ & ideò nullus ſenſus adeſt. In ſoluta vnione, in attritione & collimatione, cum nihil patiatur membrana nullus dolor & ſenſus adeſt. Quibus ſanè Fallopius nulla alia ratione ſenſus ἐνέργειαν aſcribere videtur, quàm quâ vngues piliq́ue pericranio infixi ſentire dicuntur: qui certè ex accidente nulla ſenſitiua facultate eorum ſubſtantiam ſubeunte, ſentire putantur. Quoniam ergò dentibus deeſt plenaria ſentiendi ἐνέργεια; deerit eiſdem neceſſariò τὸ πεφυκέναι, quod illius gratia ſolet exiſtere actu finis perfecto. Quandoquidem natura à motu prius non deſiſtit, quàm ad finem perventum fuerit vltimum atque principalem ἐν τῷ πεφυκότι moliendum perfectè.

Sed & hoc excutiendum, vbi ais, *ſenſu dentes ab omnibus aliis oſſibus differre.* Mirarer has tuas ineptias, ſi non tibi conſentirẽt 15. Obiect.

Reſp. plurimi. Oſſa ſiquidem tam ſentiunt quàm dentes; hi enim propter neruum per intimã maxillam diſperſum, ipſorumque radicibus inſinuatum: illa ob membranam, quà cinguntur muniunturque, beneficioque eius ſenſu acutiſſimo afficiuntur. *An oſſa ſentiant?* Rationibus id confirmare puerile eſſet, cùm & ſenſu ipſo & αὐτοψίᾳ euidentiſſimum. Negaturus, oſſa tua ſecari, contundi, & terebrari permitte; atrociſſimus inde concitatus dolor veritatem tibi nolẽti confirmabit haud dubiè. Si oſſa ipſa ſentire negabis, ſed dũtaxat mẽbranam iſta ambientem: reponam viciſſim pari ratione & neruum ſentire dẽtib. inſertum, dentes ipſos neutiquam. De aliis corporis partibus ſimiliter æſtimandũ. Nã pleræq; earum, gratia neruoſi generis, ſentiẽdi facultate valent: hoc tamen conſtituto diſcrimine, quod aliæ partes habiliores ſunt ſua ſubſtantia ad ſenſum recipiendum aliis.

16. Obiect. 5. *Porrò ſenſum eſſe dentibus teſtetur ſaltẽ αἱμωδία: quæ vel vnũ aureo dẽti negata fortè ſatis erit ad demonſtrandũ naturalem nõ eſſe.* Reliqua quę addis potiùs cõtra te, quam aduerſus me allegãtur. Intexamus tua ſyllogiſmo.

Cuicunque negatur αἱμωδία illud naturale non poteſt eſſe.

Aureo denti denegatur αἱμωδία. Ergo.

Reſp. Maiorem nego & infero, quod multorum dentes αἱμωδίαν non ſint perpeſſi, nihilo ſecius

loſecius tamen haud deſinent eſſe naturales. Nec abs te probatum eſt, aureum dentem αἱμωδίᾳ laboraſſe, vel non. Ideoque fallax tuum connexum. Quid Horſthio oculatiori nobis teſti & primo de aureo dente ſcriptori reſpondebis? qui in libello de aureo dente edito & à me poſt iuditii mei de eodem promulgationem demum percurſo hæc profert, fol. 64. notanda. *Poſtremò etiam aureus dens ſenſitiua facultate ſenſibiliter potitur. Dolet enim & ſentit, ſi vel minimum quid clam ipſi aureo denti applicetur. Expertus eſt Reuerendiß. & illuſtriß. Epiſcopus Niſſanus, qui cum chirurgicis inſtrumentis dentem aureum tentaſſet, an arte vel dolo malo inſitus eſſet, puer maximos dolores dentis ſenſit, vt mater mihi Reichenbachij in præſentia multorum conſularium virorum dixit. Expertus ſum ego ipſe, cum ibidem Lapidem Lydium, neſcio puero & matre, fricando leuiter adhibuiſſem, ac omnia ſtudioſè diſſimulaſſem, puer ſtatim eum, quem nihil quicquam viderat, ſenſit.* *Horſthii teſtimonium, dentem aureum ſenſiſſe.*

Quomodo autem aliter ſentiret, niſi animali in ſenſitiua naturaliter per neruos in eaſdem cauitates, aurei dentis atque in ſubſtantiam eius ingredientes, eosque à tertio pari neruorum cerebri ibidem ortos polleret? Horſthius itaque hunc aureum dẽtem tam propter αἰσθητικὴν δύναμιν quàm alias

facultates vitales & naturales etiã tibi profitetur animalem, rationibus iam non examinandis. Ad tua meaque.

16. *Obiect.* *6. Denique ſi ex τῶν πεϱάτων eſt, aliqua ex parte, vt infrà fateris, quì tritura vltimus huius finis eſt? Et ſi miraculoſum eſt, quomodo potius natura, quam* DEVS *vel aliud aliquid ſuprà naturam deſtinauit ad finem.* Syllogiſticè repetita tua clarius patefient.

Si Dens aureus miraculoſus eſt, manducatio eius non poteſt eſſe vltimus eius finis.

Reſp. *Prius verum. Ergò & poſterius.*

Quomodo dens aureus miraculoſus. Quomodo dens miraculoſus dici queat, quęſtio docet quarta. Neque enim miraculoſus dicendus eſt, quòd naturæ ἁμάρτημα ſit & aberratio à fine: ſic enim ſpeciem & finem cum reliquis dentibus communẽ non haberet. Teſte Ariſtotel. *libr. 2. de natura capit.* 8. Homo quiſpiam alicuius reſpectu miraculoſus eſſe poteſt, & tamen finem vltimum κατὰ λόγον hominis obtinere perfectè. Mitto plurium exempla. Fecerit itaq; DEVS hunc dentem aureum miraculoſum κατ' οἰκονομίαν; cauſis tamen naturalibus mediãtibus. Quemadmodum Iehoua plurima olim produxit miracula & monſtra interuẽtu rerum naturalium; his tanquam ſuis inſtrumentis vſus, producens etiamnum.

17. *Obiect.* *Quod autem nihil referre arbitraris, qua ex materia fiat, modò vſum dentis habeat : in eo*

pluri-

plurimum falleris. Igneus ille currus, quo tranſlatus eſt in cœlum fuit ne verus currus an non? Negabis haud dubiè, niſi velis θέσιν διαφυλάττειν potius quàm veritati aſſentiri.. At hic tamen vſum habuit currus, &c.) Verba mea ſic ſonant. Nec refert aureus ſit vel oſſeus dens: perinde eſt, modò vſum finemq́; dentis habere à natura cõſentiamus. Qua mente dentem aureum & oſſeum ad naturalem motum arguendum parum diſtare protuli apparet facilè. Non ſanè quòd ex quolibet quodlibet fieri poſſe velim, neutiquam. Verùm, dente aureo formam finemq́; vltimum dentis naturalis adepto, diſſimilitudinem materię nobilioris vel ignobilioris naturalem & generationem & effectum, cauſis naturalibus rationi humanæ obuiis refellere haud poſſe.

Materiam determinatam agnoſcere me in omni rerum ortu faſſus ſum ſuprà. Exemplo vt & cæteris diſſimiliter allatis nil oppugnas. Currus etenim ille igneus, quo translatus fuit Elias in cœlum non fuit verus currus, quia igneus: ideoq́ue etiam vſum currus veri proprium legitimumq́; habere non poterat. Illius namque eſt, huc illuc, vltrò citroq́ue in externa trahi duciq́; ita tamen, vt ne latum vnguem terram inſita grauitatis natura derelinquat. Quare autem currus & ignei equi ibi deſignentur, quibus

Currꝰ igneꝰ quo Elias in cœlum trãſlatus an verus currus vel ſaltem φαινόμενος talis.

quibus Elias ad cœlos fuit elatus diuina virtute; & an illorum nominibus ὀνόματα & res ipſæ ſignificatæ, ſint intelligendæ, Theologos rogabis tuos, qui haud dubiè, ſi modò ſana mente ſunt prędití piáque, Angelos DEI humana iſta phraſi & theologica ſignificatos pronunciabunt. DEVS Opt. Max. ἀνθρωπίνως ſæpè loquitur & ad captum humanum docendum cogitur adhibere haud rarò vocabula humana; quemadmodum theologi nôrunt orthodoxi. Vtvt ſit, tute plurimum falleris in eo, quod τὰ ὑπὲρ ἀνθρωπίνων σύνεσιν, & mera hyperphyſica commiſces cum paraphyſicis naturalium maxima ex parte participibus. Puerilia ſunt mera. Cõuertamus nos ad quintum argumentũ.

5. *De loco aptiſſimo quod affertur, nullius eſt momenti: Nam primum locus ipſe per ſe nihil poteſt ad rei generationem. Quantum enim eſt & externum quid. Infers ita.*

18. Obiect. *Quod quantum eſt & externum ad rei generationem per ſe nihil confert.*

Locus quantum & externum: Ergò.

Reſponſ. Nego conſecutionẽ. Locus enim, etſi ad rei generationẽ & σύστασιν facit nihil, vt materia & forma rerũ συστατικά: attamẽ eiuſmodi eſſe, vt res generari ſine loco nequeant, demonſtrat Ariſtot. *lib.4.phyſic. Et 4.de cœlo, Ferri verò quodq; ſuum in locum, nihil aliud eſt, quàm in ſuam formam ferri.* Hîc ſummus

philoſ.

philoſ. locum formā vocat, quòd inſtar formæ eſt, cùm ſuppleat id, quod forma interna prǣſtare non poteſt: hæc enim dat rei eſſe & ipſam conſtituit; ſed ipſa per ſe non poteſt eam diu conſeruare. Locus autem tanquam altera forma externa per vim, quam habet, locati conſeruat rem in ſua naturali conſtitutione. An per ſe, an per aliud, tu iā cenſeto. Si per aliud, cur Ariſt. grauia & leuia ad ſuum locum cieri peracutè docet? Leuia cur ſurſum, grauia cur deorſum? ſi nihil momenti loco ad locatum, quare locatum locum neceſſariò neceſſitate locati ſuum expetit? Cur item graue ῥοπῇ ſufficienti inſtructū, in ſuo collocatū loco ſurſum delatum deorſum tendit, quaſi infimo ſitu & loco ῥοπὴν confirmaturo debiliorem? *Locus cur Ariſt. formæ?*

Quocirca, quum locus ſit ex eorum numero, ſine quo res naturales moueri, eſſe & conſeruari nequeant; horum conſideratione ſocum omninò magni momenti ad rerum & generationem & σύστασιν eſſe arbitror.

De partibus corporis humani nobis iam eſt ſermo, ſuis definitis locis propriis; vtrū huius vel illius partis Locus aliquid faciat per ſe ad generationem & conſtitutionem eiusdem. Ariſt. 4. *phyſicor. cap.* 3. Modos octo τοῦ ἄλλο ἐν ἄλλῳ γίγνεσθαι ponito ctauum, quo aliquid in aliquo ineſt, maximè cōſentaneum *An locus partiū corporis humani aliquid faciat ad locatas partes.*

taneum modum atque vſitatum, vt quando repoſitum in loco quopiam (vt in vaſe quod in vaſe continetur.) dici conſueuit ineſſe, agnoſcens. Aliud autem in alio hac ratione inprimis conuenienter ineſſe dicitur, quòd locus à locato non ratione tantùm, ſed etiam reipſa ſeparabilis eſt: in reliquis modis nō ſimpliciter & omninò aliud eſt, ꝙ ineſſe alij dicitur. Etſi.n. alterum ſine altero poteſt eſſe interdum, non tamen viciſſim & contra: vt verbi gratia, pars quidem certa abſq; ſuo toto, non tamen idipſum totum ſeparabile eſt à ſua parte.

Schegk. in 4. phyſ. fol. 173.

Nobis primus conuenit modus, quo digitus in manu dicitur eſſe, *Ariſtot. 4. phyſicorum, cap. 3.* pars in toto. Hic modus in alio eſſe variat pro diuerſitate locorum. Proin non ſequitur ſi hic locus per ſe nihil, vt tu loqueris, poteſt ad rei generationem & conſtitutionem, alterum modum non poſſe. Niſi enim ſuo quæuis loco particula reponitur, ſuo quælibet fungi à natura conceſſo munere & officio nequit. Actione enim & paſſione conſentanea naturæ definiuntur omnes; ἐνέργειαι autem naturæ conſentaneæ nequeunt eſſe, non ſuo collocatis loco partibus. IECVR *αἱματοποιητικὴν* ſuam *δύναμιν* haud exercebit, ni ſuo conſtituatur loco apto: Ventriculus cōcoquet nehilum, non ſuo naturali collocatus loco.

Num

Num autem locus hic & ille nihil queat ad conſtitutionem partis vtriuſq; ſtultum rogato, amentem; ἄλογον reſponſurum tecum. Ventriculum in cerebro ponito ac eius actiones naturales ibidem expectato. Sit ſitus cerebri in ventre; num ſuas actiones animales & reliquas exercebit feliciter?

Dentes cur non potius ori ventriculi inſerti, aut ſitum alium promiſcuè occupant? Si loci aptitudo nihil planè facit ad partium corporis humani σύστασιν & totius emolumentum. Equidem dentes, dentes eſſe non poſſunt, niſi in ore collocati, alueolis exorti, gingiuis circumdati: quia hic proprius eorum locus; naturalis συστατικὸς καὶ συντηρητικός. Quocirca pone δύναμιν auri ſuo fultam ſubiecto idoneo, vel poſt vel ante natum puerum Sileſium in corpore eodem latitaſſe. DEVM & naturam coniungamus; cùm neuter facilè ſine altero quidpiam fabricetur ſine & naturali & diuinò præſuppoſito. Fiat ergò vtriusque virtute, Deo naturam gubernante ἐγκλίσει naturali aureum quid, neceſſitate naturali ſic iubente & Deo non impediēte. Quæro iam ex te, quæ nam pars corporis inde commodè emergere queat? An partium principum quædam? Non cerebrum. Aurum enim quamquam extenſile ad malleoli nutum, compactius tamen eſt, quàm vt cerebri conſtituendo

par

par ſit. De hepate & corde par ratio, aliis multis obſtantibus. Quæ ergò pars corporis poſſet ex iſta materia aurea aptè fieri? Dic quæſo? Nullam video ego, cæcutiens licet. Oſſa dices? Sed vnde finis miraculoſus apparuiſſet, oſſibus denſitate corporis abditis? Vnde tanta materies aurea ad oſſium compagem conſtituendam? τὰ φάτνια ergò locus aptiſſimus ad ſuſcipiendam hanc materiam auriferam, eamq; producendam his arguitur φαινομένοις haud ineptis. 1. Si vſum ſpectas auri in corpore animali, quem pars ex auro fabricanda præſtet; haud occurrit aliqua particula, quæ auro conſtans vſum naturæ conſentientē præbere queat, ipſo dentis vnico excepto. Duritie namque & ſoliditate aurum & dens ad ſe mutuò proximè accedunt; qua ad manducationem ciborum maximè opus. 2. Si finem miraculoſum deſideras; etiam ſitus hic aptior erit aliis omnibus ad finem miraculoſum exhibendum. Ideò Horſthius *in lib. de dente aureo, fol. 46.* obſeruauit, puerum dentes omnes id temporis, ſcilicet anno ætatis ſuæ octauo habere niſi vnum maxillarem vicinum, quem non vnà cum aliis creuiſſe notandum duxit, quod DEVS & natura hunc aureum dentem tanto magis conſpicuum omnibus eſſe vellet. 3. Auri natura ſpirituoſa aliquopiam non quàm ſurſum cieri

Cur alveoli dentiũ apti ad aurũ producendum.

ὁρμῇ

ὁρμῆ ſua innata poteſt, idq; ad capitis partes inſtar aliorum vaporum eò appellentium. Ibi autẽ ſubſiſtit, vbi in ſui generis quidpiá commutari poteſt. Aptior proin locus appellendo huic ſemini, generando, & cóſeruando tibi erit, illis ipſis alueolis dentium naturali loco? 4. Accedit, quòd dentium materia humor viſcoſus ſubtus reſtitans, multum facere ad aurei huius dentis & cóſtitutionem & augmentum queat. Nec obſtat materiam dentiũ non habere priuationem ad aurum. Quippe quàm viſcoſus ille humor ſit eiuſdem cum metallari materia proxima conſiſtentię, quoad craſſitiem, ſuperueniente principio aurifero, accedentibusq; cauſis neceſſariis hîc nequaquã prohibitis iam iam δύναμιν auri & acquiſiuit, & auri materia fit determinata. Nec ſequitur propterea quodlibet ex quolibet generari. Humor enim iſte potentia auri inſtructus poſt aliam atq; aliam alterationem propior fit metallari materiæ, vſq; dum determinata fiat materia ad aurum, quæ ſi acceſſerint cauſæ actum prouocantes, abit paulatim in aurum. Sed de his deinceps plura. Vſum itaque metaphyſicum Horſthio te docente, meq; loci aptitudinem fuſiùs quàm ferebant & res ipſa & negotia mea, demõſtrante, oportet te aſſenſum prębere; modo promiſſis ſtare velis.

Neq;

19. *Obiect.* *Neque etiam explicatur, cuius reſpectu ille locus ſit aptus: neq; quæ ſit illa aptitudo. Aureæ materiæ generandæ nullam agnoſco, cùm generata fuiſſet tantùm materia auri non aurum: vel ſi aurum, non aureus dens. Si dentis aptitudo eſt, vel nunquam factus fuiſſet à natura dens aureus, vel certè dens oſſeus.*

Reſponſ. Reſpectum ſignificaui latè καὶ φαινομένως, aptitudinem item loci. Infers iam vlterius; Aureæ materiæ generandæ aptitudinem agnoſco nullam. Quare? Cùm generata fuiſſet tantum auri materia, non aurum. Das ſine mente ſonum. Si neſcis, συλλογίζου. Accepto aptitudinem in alueolis eam eſſe, te faſſo, qua poſſit generari materia auri. Inde ſic argumentor.

Vbi aptitudo eſt ad generandum auri materiam, ibidem eadem erit, ad aurum generandum.

Prius verum mineræ χρυσοποιητικαὶ demõſtrant ſenſu quotidiano, ratioque ipſiſſima. Materia.n. auri generata nihil mihi eſt aliud quàm aurum ipſum. Vterum ſemini hominis generando aptum eſſe, idem erit infanti, quàm vterum homini generando aptum eſſe: quòd ſemen in vtero generatum nihil ſit aliud quàm homo. At pueriliora hæc ſunt, quàm vt illis refutandis tempus conteram.

20. *Obiect.* *Præterea multa ſunt in locis conſuetis genita,*

nita, quæ tamen non ſunt naturaliter genita. Ex illorum numero ſunt molæ, quæ non niſi in utero generantur & monſtra. Ex his ſit Chriſtus ſecundum carnem & Iſac. Neuter enim naturaliter ortus eſt, quamquam naturali loco & conſueto. Ille à Spiritu ſancto conceptus: hic à parentibus iam ſenibus, cumq́ Sara deſiiſſent fieri muliebria, vt nulla amplius eſſet concipiendi facultas.

Pauca in locis conſuetis genita non naturalia eſſe haud inuitus conceſſero; non item multa. Abſurdum eſt, vt oſtendi ſuprà, naturaliter genita, naturalia non eſſe. Cùm hoc illius reſpectu tale & tale dicatur. Exemplis tuis admodum es ineptus. Molæ & monſtra in locis naturalibus nata, fiũt quidem non naturâ, non autem omni ſed impeditâ. Ideò *Ariſt. 4. de animal. generat. Monſtrum* ait, *præter naturam quid eſſe, non quidem omnem, ſed eam, quæ plerunque eſt.* Quare tua illatio improba καὶ κατά τι vera. Chriſtus *Lucæ* 1. ſecundum carnem naturaliter natus, quamquam à Spiritu ſancto conceptus, ſicuti ſuprà planius de natiuitate & generatione Chriſti dixi. Iſac *Geneſ. 18.* à ſenibus quidem parentibus, deficiẽtibus iam Saram menſibus tibi non naturaliter & conceptus & natus eſt, 1. quia ſenes parentes generandi iam facultate defecti, 2. quia Saræ iam deſiiſſent fieri muliebria, vt nulla

Reſp.

Naturaliter genitum naturale eſt.

Monſtrum quid. Cur præter naturam.

An Abrahamus infœcundus, & ratione huius Iſac non naturaliter natus?

eſſet amplius cōcipiendi facultas. Prius nẽgatur. Abrahamū etenim ſenem, generandi facultate præditum, teſtatur procreatio Iſmaelis cum Hagara *lib.1.Moſis,cap.16.* Sara ſterilis quidem ad tempus erat; non autẽ ſuo vitio, ſed diuinitus ἐνεργείᾳ generãdi cohibita. Quemadmodum ipſamet fatetur *cap.16.Geneſ.* Deum vterum ſuū occluſiſſe, quò minus concipere poſſet. Quid? IEHOVA *cap.15.* Abrahamo inopiam prolis conqueſto pollicitus eſt tãtam ſeminis ſui propagationem, quæ ſtellarum infinitæ multitudini par eſſet? Si fœcunditati vtriq; planè denegata fuiſſet, haud prędixiſſet fore proletarios parentes: quamquam Sara ἀδύνατον videbatur Abrahamo ſanctè credente & τούτῳ τῷ πιστεῖν ad iuſtitiam ſibi imputato. Poſterioris imbecillitas pateſcit hac διανοίᾳ.

An Sara ſterilis omni ex parte fuerit?

Abraham⁹ fide iuſtificatur.

Quibus deſinunt fieri muliebria, illæ fœcundæ redditæ, fœcundantur hyperphyſicè.

Saræ deſinebant fluere muliebria: Ergò.

Cōceptio fit menſibus et ceſſantibus, & nondum fluentibus.

Impingis fallaciam ambiguitatis & ignorationis Elenchi. Propoſitionis enim debilitatem oſtẽdit memoria noſtra, qua liquet, haud rarò vſuuenire fœminas natu grandiores factas, mẽſibus iam deſinentibus concipere. Plures item fœminas, nouem, decem & vndecim annorum, menſtruis nondum incipientibus concepiſſe, viris grauiſſimis compertum eſt.

Quibus & Ariſt. *7. de hiſtoria animalium cap.* 2. aſtipulatur, inquiens, *Nonnullæ etiam, dum profluunt menſes, concipiunt, poſteà concipere nequeunt, quibus vterus ſtatim à purgatione comprimitur.* Et poſtmodum addit: *Conceptus mulieribus à profluuio menſtruorũ ſua natura contingit, & quæ his carent, ſteriles magna ex parte conſiſtunt. Verùm fieri poteſt, vt aliquæ etiam ſine eorum effluuio concipiant, videlicet, quibus tantum humoris colligitur, quantum iis, quæ purgantur, reſtare ſolet, poſt purgationem; quamquam non tanta copia eſt, vt foras erumpat.* Quod ſi verò Sara facultate concipiendi probâ donata, impedita fuit diuino obſtaculo, & priuata actu ſecundo & ἐνεργεία cõcipiendi: fœcunda poſtmodum, volente Deo, reddita Iſacus nihilominus hyperphyſicè natus? At quomodo naturalis homo ꝓdire poteſt nõ præcedentibus cauſis naturalibus? Cur vſus Iehoua inſtrumentis naturalibus, parente vt cauſa agente, & matre cauſa patiente? Et, Saræ corpus licet fuerit effœtum & per ætatem appareat menſiũ ſufficiẽtem quantitatẽ ad conſtitutionẽ & alimoniam fœtus amiſiſſe: Dominus tñ poſt æditã ꝓmiſſionem de naſcendo Iſac, vires Saræ velut aquilę iuuentã ſic reſtaurare potẽter valet, vt & ipſa quoq; naturale ſeminarium ad gnõis opus cõferre queat. Vt hoc, reſpectu etiã Iſac naturaliter

Cur grãdiores fœminæ menſib. ceſſantibus quandoq; concipiunt?

natus omninò dicendus ſit. Sed relinquamus hæc theologis diſcutienda. Nos noſtra tractabimus.

6. Sextum meum argumentum æquè infirmum iudicas, atque præcedentia. Argumentabar.

Obiect. 21. *Quicquid ſpeciem dentis habet, probabile eſt, dentem naturalem eſſe.*

Dens hic aureus ſpeciem dentis habet. Ergò veriſimile naturale eſſe effectum.

Negas conſecutionem; *quòd mera accidentia ſint illa, quibus arguerim naturalem dentem.* Accidentium vel adiunctorum deſcriptio mea talis. *Aurum*, inquit, Horſthius fol. 24. *aperto pueri ore ſtatim ſplendeſcere video, dẽtem tango, rotunda figura in ſumma ſuperficie aſperũ, quatuor apicibus ac media cauitate de more maxillariũ, magnitudine eâdè, aut paulò maiori, numero vltimũ, poſitu iuſto ſatis firmum ac immobilem, & gingiua ſalubri rubicante circumdatum deprehendo.* Hæc

Reſponſ. omnia adiuncta dẽtibus aliis verè naturalibus cõpetunt, quibus diſcernuntur ab aliis partibus corporis, nomen & definitionem inde accipientibus. Iſta verò accidentia cõmunia eſſe aſſeueras, quæ cuiuis etiam rei duræ ab artifice imprimi poſſunt ad eundemque vſum.

Obiect. 22. *Sed artificialem dẽtem quis verum dentem dixerit? quis naſum humano artificio factũ vel*

ex

ex carne vel metallo quopiam propterea dixerit naturalem vel naturaliter factum, quod formam habeat externã aut etiam vſum. R. Dens naturalis & artificialis, tametſi ſibi inuicem ſimilitudine reſpondere videntur; non dicere tamen par eſt, artificialem dentẽ naturalem eſſe & contrà; aut artificialem dentis naturalis adiuncta ꝓpria poſſidere: eò quòd artificialis à naturali differat nõ forma tantum externa, ſed & motionis principio, ꝙ artificiali externũ eſt, naturali inſitũ. Hanc differentiã rerum naturalium & artificialiũ propriam eſſe affirmat ipſemet Ariſt. *2. phyſ. c.* 1. artificialib. etiam quàm proximè ad naturalia, ſpecie, vſu & reliquis accedentibus. Quare, quoniam principio motionis diſcriminãtur dens naturalis ab artificiali; quamq̃ vterq; conſimilis quoad adiuncta ſibi cenſetur; certum tamẽ eſt, adiuncta illa ipſa nõ vtrobiq; planè paria eſſe, ſed differre principiorũ neceſſitate. Id ꝙ & vſus vtriusq; tam naturalis quã artificialis dẽtis docet diſpar. *Reſponſ.* *Artificialis dens vt differt à naturali?*

Vt ergò hæc forma ſit exterior dentis molaris: dentis tamen formam & ſpeciem nõ arguit: imò ne materiam eius propter dictam cauſam. Speciem verò dentis arguit talis materia oſſea, qualis eſt aliorum dentium: & ſenſus: cuiuscunq; etiam ſit formæ exterioris. Hæc enim ad dentem, qua dens, nihil refert, ſentiendi enim facultate maximè differt ab aliis oſſibus. 23. *Obiect.*

Probaui ſuprà, dentes ſentiendi facultate minimè differre ab aliis oſſibus. Nam & oſſa eadem facultate pollent; adeò vt ſi tibiam lapidi vel alii obſtaculo duriori impegeris, vehementiorem dolorem inde cõcipias, quã ex vlla alia parte corporis læſa ſenſu tamen prædita. Senſum & hunc aureum dentẽ habuiſſe cõfirmat Horſthius: quamuis ego de ſenſu aurei dentis ad naturalem effectum arguendũ non multùm laborem. Vide autem quid reſponſurus ſis teſti locupletiſſimo? Quid logicis? qui id pro differẽtia cuiuslibet agnoſcũt, qua affirmata pars à cæteris omnibus ritè dirimitur. An verò ſolo ſenſu dentes tam ab oſſibus, quàm reliquis partibus differãt, tyrones appello. Cadit ergò hęc tua à ſenſu excogitata differentia dentis. Cadit & ab oſſea materia deſumpta. Quî.n. dentes differrent ab oſſibus reliquis? quî à dente eburneo, artificiali, &c. Errorem contemplare in hoc cõnexus ſpeculo.

ἀσυλλογισία falſa.

Quod oſſeum eſt, illud dentẽ demonſtrat. Hoc tale: Ergò. Dentem extractum, mortuũ, dentem ne dixeris verum? Haud ſpero. Intelligẽtiorem namq; te iudico. Quomodo ergò diſtat ab humano vero dente?

An dens verus ſola materia oſſea cognoſcatur?

Ariſt. 4. met. *Quo tempore*, ait, *partes ſuo vſu & agendi facultate priuãtur, deponunt nomẽ partis*, nec niſi homonymos antiquo nomine appellãtur. Notatu dignum tibi igitur regero hoc

tuum

tuum: *Speciem veri dētis arguit talis materia oſſea, qualis eſt aliorū dentium & ſenſus: cuiuſcunq; ſit etiam forma exterioris. Hæc enim ad dentē quà dens, nihil refert, &c.* vt citius haurias erratum breuius tecum ratiocinabor.

Quicquid oſſeum & ſenſu præditum eſt, id arguit dentem naturalem.

Aureus dēs nec oſſeus nec ſenſu præditus: Ergò.

Tutare tu ſyllogiſmum hunc tuum. Ego propoſitionem pernego & infero.

Quicquid oſſeum & ſenſu præditum, illud arguit dentem. Pericranium, tibia, coſta, oſſea & ſenſu prædita. Ergo arguunt dentem naturalem. Si reſponderis meo eulogiſmo; reſpondebo tuo proſyllogiſmo aut paralogiſmo.

Prætereà ſi nihil refert ad dentis cōſtitutionem, cuiuſcunq; ſit formæ; licet illū eſſe informē & inorganicum. At dentes organa ſunt & formata. Sola. n. conformatio facit inſtrumentū. Quare dentes, dentes eſſe nō poſſunt, niſi certa figura, &c. conſtiterint. Quod & alia cōfirmabo ratione. Si Dens ad aliquē vſum à natura deſtinatus eſt, requiret materiā certo modo conformatā, quo ſublato, deſinit eſſe inſtrumētum. Prius veriſſimū: Ergò & poſterius. Quapropter, quoniam quodlibet inſtrumentū definiendum & cognoſcēdum tam ſua operatione, quàm debita conformatione, *teſte Gal. & Ariſt.* 4.

An nihil referat, cuiuscunque ſint formæ dentes?

Dentes formatos & certa figura præditos, alia ratione probatur.

 meteor.

*meteor. cap.*12. iure logico dentem hunc aureum arguo naturalem quod non tam vſum potiorem (organon namq; quodlibet definire docet Ariſt. vſu & officio potiore) manducationem videlicet natura ſit adeptus, quam legitimam dentium naturalium figuram ſpeciemq́ue.

15. Obiect. *De nobilitate materiæ aureæ collectæ, quæ dicis, quamquam timidè, philoſopho & medico indigna ſunt. An neſcis rerum gradus. Senſus capax quod eſt, præſtantius eſt eo, quod non eſt.* Mea verba hæc ſunt: *Nec intereſt, quamquã hic ex auro, reliqui ex pituitoſis & viſcidis ſuccis ſunt concreti.* Qualia hæc mea ſunt philoſ. & medico indigna nõ video; ſed te hactenus medici & phiſophi nomine indignũ deprehendi. Dẽtem aureum arguo naturalẽ dentem, quia formam dentis & ſpeciem inſtrumenti; non obſtante ꝙ reliqui naturales ex oſſea materia, aureus ex auro. Eò quòd dentis ὁρισμὸς καὶ λόγος non materiam oſſeã, ſed formam actionemq́; reſpectat, ex quâ poſteà & debita conformatio, & vſus potior reſultat, perſuaſore etiã Ariſt. 2. *de anima*, & 2. *topic. c.* 3. Hæc itaq; cùm denti aureo cõueniant, quid impedit, quò minus naturalem hunc dentem indigitemus. Nihil enim, niſi ignobilis materia oſſea reclamat, quæ dentibus naturalibus ineſſe ſolet ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. At dixi egò propterea dentem hunc

Reſp.

aureum

aureum πῶς naturalem dentem, reſpectu ad vſitatum naturæ quotidiè producentis curſum relato. Dens autem quodammodo naturalis, hactenus non audiui ex te, quò minus poſſet fieri ex auro.

Nobilitatem autei dentis refellere ſtudes & ignobilitatem dentium oſſeorum tueri hoc modo. 25. *Obiect.*

Quicquid ſenſus capax eſt, nobilius eſt eo, quod non eſt.

Dentes naturales ἁπλῶς ſenſus capaces. Ergò. Maior non ſimpliciter vera. Aurum pręſtantius me hercule erit egeno, ſentiente animæ facultate præſtantiſſima tibi, nedum inſtruméto ſenſus proprio. Rationale præſtantius tibi erit ſenſibili. Cerebrum, pulmónes, Iecur, Cor, partes principes, aut nullo aut perexiguo ſenſu affecta præſtantiora tibi, medicum ſi ſapis, erunt, vllis partibus neruoſis ſenſilis facultatis proximo inſtrumento corporeo? Interim ego philoſophorum infimus non Midæ diuitias, ſed tibi intellectum magis conſpicuum, quò & ſolidiùs refutare me & rerum gradus doceré queas, ex animo opto; panem quotidianum diuinitùs hactenus quotidiè precatus. Nihilominus aureum détem qui aſſerit naturale effectum, non ignorabit propterea rerum gradus. Nondum abs te probatum eſt, materiam dentis naturalis humoré craſ- *Reſp.*

ſum

ſum & viſcoſum ad aurì generationem fuiſſe ineptum & negatum, potentia ſcil. omni exutam ad aurum.

26. Obiect. 7. In corpore humano producuntur varia animantium genera naturaliter. Ergò & aurum poteſt, & ex eo dens naturalis. Contrà tute. *Principiò conſequẽtia eſt nulla. Quia diſpar eſt ratio auri, quod neque ex putredine naſcitur: neque eius ſemina in corpus noſtrum translata conſtat: neque ſi conſtaret à noſtro calore natiuo animari poſſet, tum quòd frigore concreſcat, quia calore ſoluitur, tum quod aurum animari poſſe non videtur.* Vſque huc tua non prætereunda. Ais. 1. *diſparem eſſe iſtorum animalium & auri generationem. Quod illa ex putredine naſcantur. Hoc nunquam.* Reſpondet tibi textus ipſe meus dexterius lectus. Aſſero enim varii generis animalia in humanis corporib. naſci, partim ἀυτομάτως, partim materia ſpermatica per eſculenta illorum animalculorum inſeſſu emiſſo ſeminali excremento polluta eò trãſlata. Non itaque ex ſola putredine. Et, quæ putredine naſci dico, ſana mente intelligatur neceſſe eſt. Quæ enim in putridis innaſcuntur vt vermes, &c. non naſcũtur à cauſa putredinis & calore externo. Nã eo diſſoluitur res putreſcens in terram aut fimũ, ſed generantur ratione caloris, quẽ concepit materia parturiens ſpeciẽ nouã, à quo propter

Reſp.

Quomodo animalia ex putredine naſcuntur.

pter

pter fœcunditatē nō vt ab externo, ſed vt ab inſito patitur ſe promoueri ad formæ alicuius inchoatæ perfectionē. Calor enim quo fœcunda eſſe incipit materia, cauſa naturæ naſcentis rei non externus, ſed internus & naturalis eſt appellãdus. Qua parte igitur & ratione generatur aliquid, hac non putreſcere dicenda eſt materia, ſed à putreſcētib. partib. natiuo quodã calore ſuſcepto ſegregari. Sicut docet Ariſt. 4. *meteor. c.* 1. *Præterea Auri ſemina in corpus noſtrum translata eſſe haud conſtare infers: propterea diſparē eſſe auri & animalium aliorum in corpore humano natorum ortum.* Paralogiſmum tuum agnoſcas ipſemet. Multa nos fugiunt, quæ tamen & eſſe naturaliter poſſunt atq; exiſtũt ſic talia. 27. *Obiect.*
Quid? Vt animantium genera hæc & illa in corpore humano prognata ſeminis ſui præſentiã hoc vel illo modo eò tranſportari arguũt: ita & aureus dens auri ſemē in corpus humanum occultè translatũ liquidò oſtendit. Nam vt aurum fiat, neceſſe eſt vt præexiſtat hoc tale, quale potētia eſt id, quod gignitur. *Ariſt.* 2. *de gener. animal. cap.* 1. 7. *Metaphyſ. &* 9. Atqui, quâ facilitate animalium & aliorum præter naturam humanã in corpore humano procreatorum ſemina per eſculenta aut poculenta in ſubiectum humanum tranſplantantur, eâdem & auri cōferri poteſt, mineralibus venis vaporum & exhalationum copia affluentibus. 3. *Ne-* *Reſp.*

3. *Neque ſi conſtaret, à noſtro calore natiuo animari poſſet, tũ quod frigore concreſcat, quia calore ſoluitur; tum quod animari poſſe nõ videtur.* Negas aurum animari poſſe. Cur? quod frigore concreſcat, argumento, quod calore ſoluitur. Argumentare ſyllogiſticè.

Quod frigore concreſcit, animari nequit.

Reſp. *Aurum frigore concreſcit. Ergò.*

Maior falſiſſima eſt. Etenim oſſa, frigido indurari affirmat Ariſtotel. *lib. 2. de generat. animal. cap. 7.* Vbi loci etiam carnem frigore concretam ſcribit, quod calore liquetur. Conſentit & Gal. noſter *lib. 7. de method. medend. cap. 6.* ἑτέρα γάρ ἐστιν ἡ ξηρότης τῶν ἐκ τῆς ὑγροπαχοῦς οὐσίας συνεστώτων, ὁποῖον ἐστὶ πιμελὴ καὶ σὰρξ ἐκτακέντων. Auicenna *lib. 4. Canon. Fen. 4. tract. 4. cap. 1.* neruos ex humiditate frigore coagulatos aſſerit. Quod ſi itaque partes quædam noſtri corporis frigore condenſatæ conſiſtunt animatæ, (quemadmodum iam autoribus locupletiſſ. oſtenſum eſt, & tibi ipſimet plurimæ exactius circumſpicienti occurrent) quo ore id, quod in nobis frigore denſatur, anima ſpoliabis? De animatione mihi nuſquam ſermo factus. Hoc quærebam diſpiciendum: vtrùm dens hic aureus naturalis; vtrùm naturaliter natus: an aurũ φύσει in homine produci queat necné. Aurum animatum aſſero nunquã. Aureum dentem Horſthius experientia & ſenſibus

An aureus dẽs animatus?

ſibus

ſibus munitus abundè comprobat. Negaturo vlterius opponet tum formam aurei dentis organicam,tum vſum & operationē verè naturalibus æqualem. Quod ſi durities aurei dentis tibi obſtare videbitur, quò minus concedas eum animari; iubebit te oſſa inſpicere auro quodam duriora. Nec quid ilicò inanime erit, quod animari non tibi poſſe videbitur. Reliqua ὕθλον πρὸς ἔπος & reſponſo indigna.

ΥΠΟΜΝΗΣΙΣ
ἀνασκευαστική.
AD
RESPONSIONEM INGOLſtetteri huic 3. quæſtioni oppoſitam.

INGOL. *Dici potuiſſent omnia breuius* Rulandi ſuprà breuitatem, hìc longitudinē verborum accuſas. Ibi conciſis verbis eiſq; apertis ſenſum haud capiebas: Hìc prolixis obſcuritatem affingis. Turpiter erras vtrobique. Breuitate tunè egone ſtuduerim cæcus auditu iudicet. πολυλογία nuſquam laudanda. Obſcuritatem meis ineſſe video nullam. Verba plana, aperta, nuda me iudice.

Ingol. *Principiò illud ἁπλῶς dubiam facit orationem. Neſcitur enim referendumnè ſit ad dentes, an naturale. Permultum certè diſcriminis eſt.*

nis eſt. Verba mea hæc ſunt: *Materiam dentium ἁπλῶς naturalium materiæ metallari ſimilem eſſe ipſa docet αὐτοψία.* Iam diuina vtrum ἁπλῶς ſubiectum reſpiciat an prædicatum? Si ad ſubiectum referendum, aliudné diſcrimen erit, ac ſi ad prædicatum, non mutata mea enunciatione? Intelligatur autem coniuncta. Differre dentes & naturale palam eſt; dentes ἁπλῶς naturales non item, me infrà explicaturo. Diſiunctim intellecta pariũt etiam me aſſertore, diſcriminationẽ.

Ingol. *Deinde vtrouis modo intelligas, omitti potuiſſet. Non enim hic controuerſia eſt de dente, neque de naturali ἁπλῶς, ſed τινὶ homini.* Rul. Si non lis eſt inter dentem naturalem ἁπλῶς & κατά τι; cur tantoperè deſudas in meis refutandis? Negas chartis tuis teſtibus dentem hunc aureum neque omnimodo naturalem neq; quodammodo. Quare ergò omiſiſſem? Et, omninò diſtinguendum inter dentem ἁπλῶς naturalem, inter artificialem & dentem homonymum, &c.

Ingol. *Neque ſequitur: omnis materia dentis in vniuerſum ſimilis eſt materiæ metallicæ. Ergò & humani dentis, materia auri. Diſſimilis enim eſt ratio generationis dentium & auri.* Rul. Iniurioſa ἀσυλλογισία. Primum enim paralogiſmo tuo iniuriam mihi inurere verba mea euidenter teſtantur, aio enim: *Materiam dentium ἁπλῶς naturalium materiæ metallari*

tallari ſimilem eſſe ipſa docet αὐτοψία: nequaquam, omnem materiam dentis in vniuerſum eſſe ſimilem materię metallicę. Nihiloſecius tamen ſophiſtica eſt tua ſolutio; quãdo effatum meũ diſſimilitudine generationis dentium & auri impugnas hoc συλλόγισμῳ.

Vbi diſſimilis eſt ratio generationis; ibi materiæ eſt diſſimilitudo.

An materia auri & dentiũ diſſimilis, ob diuerſum generationis vtriuſque modum.

Auri & dentium generationis ratio eſt diſſimilis.

Ergò materia vtriuſque non ſimilis eſt. Maior negatur. Plurima namque ſunt quę diſpari generantur modo, materia tamẽ haud diſſimili. Dentes ipſimet diuerſa generantur ratione, hi altero ætatis anno, illi deinceps calore impari: alii hac, alii iſta præditi ſpecie, omnes ex ſimili materia diſſimiliter efformanda. Sic plantarum alię humana induſtria producuntur affabrè, aliæ naturæ ſolertia ſola. Vtrobique generationis ratio diſſimilis, materiæ tamen ſimilima ſubiecta. Alioquin eadem ſpecies haud forent. Pullus à gallina ouo incubãte productus, alia ratione generatur illo, cuius ouum à calore fornacis excluſum: licet materia vtriuſque ſimilis ad pullum. Quot alia, amabo, diſſimili generantur ratione, materia ſubiecta ſimili? omnibus tamen à non ſubiecto ad ſubiectum ſimiliter citatis? Aſſumpti probatio tibi adhuc incumbit. Dentes & aurum

aurum diuerſimodè quodammodo generari largior; materiam dentis oſſei & aurei non item. Pari namque ratione dentes oſſeos & aureum enatos, circumſtātię omnes, tempus, locus, cauſæ efficientes, finis, ſpeciesque euidenter commonſtrant.

An ſimilitudo ſubſtātia requiratur ad ortū rei & interitum natural.

Ingol. *Et ſi ſimilis eſſet ratio generationis, iſta ſimilitudo materiæ, eſt tantùm accidentium non ſubſtantiæ, quæ hîc neceſſaria eſt.* diſſimilem generandi rationem hîc arguis ex diſſimilitudine materiæ ὑπωόδει. At ſine mente. Quippe ſi cuncta quæ fiunt, ex negatione tendunt in affirmationem, ex affirmatione in negationem demonſtratore Ariſtot. 1. *de ortu & interitu,* nullibi erit ſimilis generandi ratio modusque, ſed ſemper diuerſus. Quid enim alterum alteri magis diſſimile eſſe poteſt, quàm hoc non eſſe, alterum eſſe & viceuerſa. At in omni generatione teſte philoſ. *lib.* 1. *de ortu*, id quod oritur ex materiâ non materia naſcitur, ex non ſubiecto in ſubiecto tendens. Amplius, ſi ortus rerum fit τῇ δύναμει τῆς ἀντιφάσεως, teſte Ariſt. 1. *de cœlo cap.* 1. & 1. *de ortu & interitu capit.* 7. quomodo materiæ vel ſubſtantiæ interimendæ ſimilitudo flagitatur? Vnde cauſa ortus & interitus? in quod actio? in quo paſſio? Fateor etiam lubenter iſtam ſimilitudinem materię accidentium duntaxat eſſe, non ſubſtantiæ. Ariſtotel. 4. *metaphyſic.*

cap.

capit. 9. Similia ſunt, quorum vna eſt qua litas idem patientia. *9. ſapient. capit. 5.* quæ eandem habent formam etiam ſimilia ſunt. Hîc ſubſtantiæ agnoſcit ſimilitudinem, ibi accidentium. Quamquã ſimilitudo verius καὶ κυρίως à qualitate (qua & ſubſtantiæ ſimilitudinem reuera nos rimari oportet) dependet: quia ὅμοια ἢ ἀνόμοια κατὰ μόνας τὰς ποιότητας λέγεται. *teſte eodem catag. capit. de quali.* Quare hac affectione qualitatum propria indicatâ, iure logico ſimilitudo materiæ ab accidentibus potius, quàm ſubſtãtiis ipſis accidentibus ſaltem perſpicuis æſtimatur. Verùm ita ſimilem metallorum materiam dentium materiæ video, vt diſſimilem vtramque ſibi inuicem perſpexerim dudum. Poſſunt autem multa eſſe ſibi mutuo ſimilia vel diſſimilia aliis collata magis minuſvé.

Quæ ſimilia?

Similitudo an ſubſtantiæ an accidentibus inſit?

Quare ergò dentium materiam metallorum parem ſcripſerim vides.

Ingol. *Quid enim eſt illa mineralis natura, quâ inſtructam eſſe oportet materiã proximam metallorũ, niſi diuerſitas ſubſtantiæ à naturâ dentali? Hæc eſt illa aptitudo, quæ cũ materiæ dentium deſit, etiam præſente χρυσοποιητικῇ & prægreſſa alteratione, atque toties, quoties voles, repetita, fieri nullo penitus modo naturali poteſt, vt dens generetur aureus.* Rul. Omninò diuerſitas danda inter dentis materiam

proximam & metalli: Hoc materiam determinatam ſibi coniunctam habet: ille non habet, priuatione metalli defectus. An verò dentis materia, humor ſcil. tenacior naſcituro denti ſubditus, omni δυνάμεως etiam vi metallica appellente ſit deſtitutus, nõdum abs te demonſtratũ exactè eſt. Ineptas negationes audio; apodictica nulla. Quod ſi demonſtrauero dentium materiam auri materiam fieri poſſe; an non omnes tuas ineptias καὶ ἀσύστατα ruitura dixeris?

Dentium materiam auri materiam inire poſſe probatur.

1. Argum.

1. *Quæcunq; τῆς συστοιχειώσεως qualitatumq; ſymbolis communicant metallari materiæ, ea apta ſunt metallorum materiam fieri.*

Dentium materia, ſuccus viſcoſus συστοιχειώσεως & qualitatum ſymbolis communicãt materiæ metallicæ. Ergo.

Propoſitionẽ Ariſt. 2. *de ortu & interitu c.* 7. demonſtrat. Siquidẽ quando illa elementa facili ortui interituiq; obnoxia ſunt, quæ ſocias obtinent qualitates: utiq; & concreta ex illis facilè & difficulter, mutationẽ pari ratione ſubibunt, quoad magis minusq; ſymbolicis qualitatib. ſibi inuicẽ cõueniẽt. Idcircò, cùm dentiũ materia huiuſmodi ſit, quo ore tu illam omni aptitud. ad metallicã materiã ineundã, priuatã proclamabis? Dẽtiũ materiam & metallor. aquã viſcoſam eſſe ꝑter Albertũ, Agricolam, Libauiũ, quotidiana mineræ conſpectio, ſenſusq; ipſemet euiden-

euidenter oſtē dunt. Taceā τὰ πάθη vtriuſq; materiæ maiori ex parte paria, quæ vniuſmodi ſi ſunt, materiæ ſemper arguunt vnitatem teſte philoſ. 4. *meteor.*

2. *Si in genere & contrariis ſubſiſtit viciſſitudo formarum, Illud erit aptum commutari, quod iiſdem erit affectum.* Nam inquit Ariſt. 1. *phyſ.* non tantùm ſenſu euidens eſt, ex illo quamq; rem naſci, quod idoneum ſit & habile, vt ex eo tale aliquid fiat, quæ habilitas contrariè repugnātibus formis definiatur, ſed & ratione perſpicuum eſt. *2. Argum.*

Dentium materia tam genere quàm cōtrariè repugnantibus continetur. Ergò.

Ortum rerum & interitum & genere & contrarietate perdoctè definit & demonſtrat Ariſt. 1. *phyſic.* & 1. *de ortu cap. 6.* Meum eſt aſſumpti veritatem oſtendere. Suprà autem indicaui dentium & metallorum materiam genere cōuenire ſimilemq; eſſe, niſi planè inficiari velis, ſenſumq; ipſum refellere, & dentes & metalla ex compagine elementorum eſſe, eaq; nō omni, ſed aquea & terrea intimè remiſtâ. ἡ ἐναντίωσις percipitur priuatione formæ introducendæ.

Probabis hoc haud difficulter, illaturus; dentis materiam priuatam quidem eſſe, eaque propter δυνάμει τῆς ἀντιφάσεως affectam: verùm non ad formam metallorū ſed dentiū, confirmāte id ipſum quotidiano dē- *Inſtantia.*

tium ortu. Equidem conceſſero ἔνστασιν hăc tuam de proxima & coniuncta dẽtium materia intellectam : non de illa, quæ certæ formæ orbitatem & inanitatem habet, prę-

Reſp.

eunte præparatione inchoandæ. Quandoquidem certum eſt, dentium materiam primò non definiri ad dentium materiam; ſed poſt elaborationem demum talem prodire, quę proximè appetat dentiũ formã. Quemadmodũ ſanguis ad ſemẽ humanũ determinatus non eſt primò:(tã enim ad partes corporis homogeneas atq; heterogeneas nutriẽdas deſtinatus eſt, quàm ſemẽ conficiẽdum, vbiq; interueniente maxima ſubſtantiæ alteratione, pari propenſione ratione materię affectæ præditus exiſtit) ſi namque remotam τὴν ἐπιτηδειότητα ſequitur proxima, mediatam immediata, priorem poſterior; proculdubio humor dentes deinceps conſtituturus primo appulſu non protinus habilis erit termino generationis à quo dẽtis præditus.

Quæro iam ex te percupidè, quando dentium materia indefinita eſt, vtrius formam, dentiſné vel auri deſideret magis, neutrius priuatione proxima affecta prius? Reſpondes, materia dentium natura metallari orbatâ, etiam præſente τῇ χρυσοποιητικῇ & prægreſſa alteratione, atque toties, quoties velis, repetita, fieri nullo penitus modo naturali

turali poteſt, vt vel aurum vel dens genere-
tur aureus.

Negas id turpiter, quod nemo phyſico-
rum facilè negare auſit. Ariſtot. 7. *ſap. textu*
32. ad ſingulorum ortum neceſſariò requiri
aſſerit, ſubſtantiam ἐνεργείᾳ προϋπάρχουσαν, ni-
hilq́ue fieri, niſi ab actu exiſtenti ſimili. ἀδύ-
νατον ſiquidem, vt materia & quodcunque
δυνάμει conſtat, ad actum tendat, niſi præce-
dat aliquis actus, qui faciat. 9. *metaphyſic. te-
xtu* 13. Quare his ita ſe habentibus, affirma- *Affirmata*
tâ δυνάμει τῇ χρυσοποιητικῇ; affirmari aurum i- *δυνάμει χρυ-*
pſum neceſſarium eſt. Hîc, etiam te aſſer- *σοποιητικῇ*
tore facili, auri δύναμις affirmatur. Ergò. *aurum af-*
Maiorem nemo niſi bardus negabit. Poſi- *firmari o-*
to enim generante, generationē ipſam po- *portet.*
ni neceſſe eſt. Inquies; Generationem non *Inſtantia.*
vbique effici, generante præſente; requiri
materiam idoneam ſubiectam, cauſas item
actum prouocantes, &c. Sed reſp. affirmata *Reſp.*
principali cauſa, nō negari cauſas min. prin-
cipales; haſq́ue neceſſario connexu, coniū-
ctas eſſe illi in rerum naturalium per ſe or-
tu. Quapropter χρυσοποιητικῇ conceſsâ at-
que conſtituta non anxiè proſpiciendum
de materia apta, non de cauſis actum pro-
uocantibus, non de loco, &c. Aptam quo-
dammodo dentium materiam auri vim cō-
cipiendam oſtendimus ſuprà. Quicquid in-
eptitudinis adhuc inibi reliquum eſt, quē-

 admo-

Vbi enim oppoſitio nulla eſt, ibi etiam nulla permutatio poteſt eſſe.

admodum neceſſe eſt & aptam & ineptam eſſe quamlibet materiam rei naturali conſtituendæ ſuffultam; (ſi modò cauſa τῆς ἀντιφάσεως ἢ στερήσεως, cuius gratia quælibet inepta & contraria habetur, res naturales exoriri & interimi ſtatuerimus) tolli atque auerruncari poteſt παρουσίᾳ τῆς χρυσοποιητικῆς δυνάμεως; cooperantibus cauſis actum alias educentibus. Materiæ enim, quæ ſola definitur potentia, non eſt ſe ipſam habilem reddere ad certam formam ſuſcipiendam: ſed indiget principio informante ἐνεργείᾳ ſua domicilium ſibi idoneum fabricaturo. Quandoquidem actu illud ſimili deſcribitur; ideò omnem vim ſubſtantiæ in eodem eſſe, atque ei attribui omnem efficaciam oportet. Proin, qua ratione, præſente χρυσοποιητικῇ & prægreſſa alteratione, atque toties, quoties volès, repetita, nullo penitus naturali fieri poſſe modo, vt vel aurum, vel dẽs generetur aureus, pernegas?

Ingol. *Neque etiam hæc cohærent cum iis, quæ in argumento ſexto habentur, ibi enim dixiſti, dentem hunc eſſe ex auro, cæteros ex pituitoſis & viſcidis humoribus concretos. An non differunt aurum & ſucci pituitoſi tota ſubſtantia?* Rul. Differre ſubſtantia & aurum & ſuccos viſcidos non reclamo, ſed non tota. Auri enim materiam quandam, ſuccosque dentis poteſtate proxima nondum inſtructos

ſtructos genere cõuenire ſuprà probabam. An, quòd ſubſtantia differunt, vnum alterius materia propterea tãdem fieri nequit? Cur ergò δυνάμει τῆς ἀντιφάσεως cuncta generari feruntur? Semen & homo diſtant ſanè tota ſubſtantia; hic nihilominus gignitur ex illo. Alimentum & inſtrumentum nonné ſubſtantia diſtant? Hoc tamẽ fit ex illo. Nutrimentum & pars nutrienda ſanè tota diſcriminantur ſubſtantia; hæc enim pars animata eſt, illud non eſt; nutrit tamen animata & fit alteratione vlteriori vnum cum animata parte, anima virtutem ſuam ad nutrimentum aſſimilatum iam promouente.

Quæ ſubſtãtia differũt, illa mutuã generationẽ & corrupt. ſubire poſſunt.

Ingol. *Taceo, quòd Ariſtotel. vt omnium meteor. ita metallorum materiam faciat halitum & vaporem tantum 3. meteor. capit. vltimo.* Rul. Patet certè Ariſtotel. te hoc loci aut non intelligere, aut libros meteorologicos omnes minus attentè legiſſe. Vult enim Ariſtotel. textu acutiori viſu conſiderato, Vaporem mixtum exhalatione prius, quàm in aquam concreſcat, φύσει talem eſſe, vt in corpus metalli tranſeat. καὶ μάλιστα ἐν τοῖς λίθοις διὰ ξηρότητα εἰς ἓν συνθλιβομένη καὶ πηγνυμένη οἷον δρόσος ἢ πάχνη, ὅταν ἀποκριθῇ ἐνταῦθα δὲ πρὶν ἀποκριθῆναι γεννᾶται ταῦτα. Etenim ſimpliciter δυνάμει non ſunt aqua, ſed cauſa materiæ, vtpote quæ talis

An metallorum materia Vapor & halitus ex ſententia Ariſt.

erat,

erat, vt aliàs ex ipſa fieri poſſit & ſoleat a-qua. Ideò addidit: διὸ ταῦτα ὅσα μὲν ὡς ὕδωρ, ἔστι δὲ ὡς οὐ· δυνάμει μὲν γὰρ ἡ ὕλη ὕδατος ἦν. Hìc aqueam terram metallicam non excludere etiam ſequentia annuunt: *Non enim ad hunc modum hoc æs, illud aurum euadit: Sed horum ſingula concreta prius exhalatione, quàm ortum ſubeant, fiunt.* Quid aliud concreta exhalatione fieri metalla; quàm aqua metallari terræ metall. remiſtà generari eadem affirmare? Quid concretio? 4. *meteor. cap.* 7. ἡ πῆξις εἴρηται ξηρασία τις οὖσα. *Et capit.* 5. *præcedente*: ἐπεὶ δὲ τὸ πήγνυσθαι ξηραίνεσθαι πῶς ἐστι. Si igitur concretio exiccatione fit, & hæc humiditatis abſumptione; quid vapore & exhalatione proxima & vltima metallorum materia affirmatâ, de vaporis eſſentia in iſta τῇ πήξει ſupererit? Nonné ſolæ reliquiæ cinereæ? Nec videre vllo modo poſſum, qui aurum exactiſſimè miſtum metallum ex vaporoſa exhalatione ἀμέσως conſtitui queat. Mixtione ψελλιζούσᾳ conſtantia, vt niuē, rorem, pruinam, &c. aio ex vaporibus & exhalationibus ἀμέσως fieri; perfectè mixta haud dixero facilè?

Concretio quid?

Ad hæc enim καὶ τὰ μικτὰ καὶ ἐνδιδόασι, &c. requiruntur. Exhalatio itaque & vapor Ariſtot. materia metallorum non habetur vniuerſalis, ſed ex primis aliqua, quam neceſſe eſt in ſuccum metallicum abire,

·ubi metallum conſtituere voluerit. Confirmatur idipſum *lib.4.meteor.cap.8.* Vbi nō ſolam exhalationem humidam metallorum materiam ponit, ſed & aquam terramque. Locus planus eſt; ὁμογενῆ corpora tam in plantis quàm animantibus terra & aqua conſtant. Item metallum, ceu aurum, argentum & cætera id genus, &c. Accedit & hoc, quòd 4.*meteor.cap.10*. Aurum, argentum, æs, ſtannum, plumbum, nitrum & lapides multos ἀνωνύμους aquæ fortis indicat. Sed quorſum hæc cuncta? An poſitâ exhalatione humidâ metallorum materia, dentis materia συστατικὴ nihilominus eorum eſſe nequit? Ariſtot. 3. *meteor.* Metalla cenſet eſſe vt aquam, eſſe etiam vt non. Nam eorum materies potentia quidem aquæ erat, nondum tamen eſt. Idcirco ſtatim, antequam in aquam abiret, concretio anteuertit, & in metallum mutauit. Quod ſi πηξομένη τῆς τοῦ ὀδόντος ὕλη aduenerit ἡ χρυσοποιητικὴ antè, quàm dens factus aut dentis materia proxima ſit, contagione aqueam terream eius materiam immutans, an abſurdum me dixiſſe opinaberis? Sanè Ariſtot. haud aliam videt metallorum generationem. Vis enim metallica nì anteuertiſſet vaporem in aquam tranſiturum, non metallum ſed aqua facta eſſet. Eiuſmodi tranſmutationes quotidiè contingit obſeruare artifi-

Ariſt. metalla ex & terra natuſtatuit.

Si dens verè aureus; naturales perſcrutaturis cauſas aut hoc aut illo modo generari videbitur.

artifices metallicos, invenis metallicis; quorum ſpiritus efficaciſſimos quis peritorum chymicarũ ignorat? quis tincturarum? quis aliorum operum chymicorum etiam medicinalium?

Ingol. *Prætereà quid eſt illud ipſum quod alterat? Alteratio enim fieri non poteſt abſq; alterante. Non eſt vis dentifica: quia hæc formã dentis tantùm introducit: nõ aurifica, quia hæc auri tantùm, ſed in materiam habilem & omninò aptam. Quâ enim adhuc inhabilis eſt, & aliquo modo inepta, eatenus nõ ſuſcipit λόγον auri. Videri eſt id in monſtris: quæ vt aiunt, phyſici, fiunt, quod materia ſit inhabilis.*

Rul. Diſcurris à me contra te. Alteratio nequit eſſe vel fieri abſq; alterante. Do hoc ob dictam cauſam: do & illud, vim dentificam nõ fungi alterantis munere. Alioquin dens oſſeus emergeret. Sat eſt aurificã adeſſe, quia hęc auri tantum formam in materiam habilem & aptam omninò introducat. Oſtẽdi ſuprà efficacia τῆς χρυσοποιητικῆς materiam dentis habilẽ reddi poſſe; tum quod hæc aquea terreis portiunculis remiſtâ nõ longè diſtet à metallari; tum quod vis auri actuoſiſſima aliquo modo etiam ineptam materiã informare queat. Quid enim opus alterante forma aliqua materiæ alicui iungenda, ſi materiam vndiquaq; aptam expoſcis. Alteratur quælibet vt inepta; vſq; dum

omni

omni ineptitudine depoſita habilis efficiatur ad λόγον priuationis ſuſcipiendum. Verũ quidem eſt monſtra aliqua fieri, ob inhabilitatem materiæ, ſed non omnia: Pleraque propter imbecillitatem atq; vitium naturæ generantis; cuius ἁμαρτήματα aperta & cuilibet obuia, nulla tali ineptitudine in dente aureo abs te demonſtrata hactenus.

Ingol. *De cauſis efficientibus, facultate ſcil. vtraq; quod affers, intelligi non poteſt, ſimul né ambæ operentur, an ſeorſim. Si ſimul, nunquam fiet aureus dens, alterâ ab altera impeditâ. Aut enim ſuperior vna erit viribus, aut pares ambæ. Vtramuis ſuperiorem dixeris, illius opus ſuccedet. Sin pares: ad quam materia aptior eſt, illius tantum opus ſequetur. Talis enim hic ſit dentis materia, fiet dens oſſeus & verus, non aureus.*

Rul. Inanis ſpeculatio ad tui defenſionẽ nihil factura. De χρυσοποιητικῇ facultate & formatrice inter nos diſputatur (quarũ duntaxat memini) vtrùm vtraq; ſimul operẽtur an ſeorſim. Si ſimul, nunquam fiet aureus dens altera ab altera impedita, &c. Diuerſas cenſes facultates eſſe & χρυσο: καὶ πλαστικὴν: quod ſi vnam & eandem ſtatuero, quid obiicies aduerſi? An non facultatis eiuſdem eſt καὶ λόγον καὶ εἶδος eidem ſubiecto priuato conferre? Miſta ſanè cuncta natura à principio miſtionis formata conſiſtunt. Si namque maius efficere valet, cur non minus?

Verùm

Verùm enimuerò dentificam & aurifi-cam tute contrà ac textus iubet meus, profers, alteram alteri opponens. Sit ergò vtraque presens ad opus ſuum architectandum accincta viribus vel paribus vel imparibus. Si imparibus & dentifica ſuperior oſſeum opus & dens oſſeus prodibit. At non oſſeus eſt factus, ſed aureus. Ergò neceſſarium eſt aurificam operi præeſſe effecturam aurum & non aureum dentem. Vnde ergò aureus dens? an ab aurifica facultate, an verò dentifica? Huius ſanè eſt dentem oſſeum educere; illius aurum. Quoniam autem dens aureus factus eſt, diuerſarum facultatum effectum oportet eſſe. Negas fieri poſſe ob cauſas abs te pronunciatas. Sit verò aurifera ſuperior in opere elaborando, quid futurum eſt? Vtra ſuperior eſt, illius opus ſucceſſurum reſpondes. Ergò ſuccedet aurum; non autem aureus dens. Cur? quia dentifica impeditur à ſuperiori τῇ χρυσοποιητικῇ. Quaſi verò ſubiecta materia τῇ χρυσοποιητικῇ informanda etiam negata propriè dentifica facultate, ab interno ſuo motionis principio hoc etiam virtutis habere queat, quà dentis potius forma vltimo ortus progreſſu exprimatur, quàm alterius rei naturali ſpecies alia. Sub terra in cauitatibus liberis, videmus metalla variis formis efficta. Nunc ſexangulas pyramides in acumen ad-

aman-

amantis productas; iam cubos, piſces, arbores, aliaque animalia repræſentant: Non certè alio quàm interno principio, quod virtutem vegetabilem æmulatur. Quod ſi χρυσοποιητικὴ dentis aurei eodem motus principio dentem expreſſit potius, quàm aliam partem corporis, vel rem informem, quid ad dentificam facultatem refugere opus? Et quid dentifica tibi facultas? an principium mixtionis, quod tale eſt, vt non aliud quàm dentem producat oſſeum? Hoc ſi tibi eſt dentifica facultas, omninò illum generatione auri dentis excludo. Quod autem tam oſſeus quàm aureus certa figura præditus appareat organicus, nõ tam principio miſtionis agente ſpiritu materiam diuerſimodè habilem conformanti, quàm loci diſpoſitioni acceptum ferre oportet. Quippe, dentibus variis figuris conſtructis haud probabile eſt, varietatem illam dentium ſpecierum vnam eandemque facultatem effeciſſe; ſed pro materiæ potius inæquali habilitate, locique aptitudine vel ineptitudine hanc vel illam dentis figuram emerſiſſe. Quapropter χρυσοποιητικὴν non modò materiæ habilitate, ſed & loci inclinatione ad dentis formam propẽdere quid contradicit?

Aurum vnde formam dentis acquiſiuit?

Dentifica facultas quæ.

Ingolſtett. *Si pares iſtæ duæ facultates; ad quam materia aptior, illius tantum opus ſequetur.*

tur. Talis cùm hic ſit dentis materia, fiet dens oſſeus & verus, non aureus.

Rul. Faſſus ſum ſuprà me nullam agnouiſſe in dente aureo vim dentificam, talem videlicet, quæ ſolet dentis oſſei principium ortus ſui eſſe, ſiue forma peculiaris ea ſit, ſiue craſis dũtaxat. At quomodo dentifica & aurifica præſentibus, dens oſſeus, & nõ aureus potius enaſcetur, materia ſubiecta indefinita adhuc & ad neutram procliuiore?

Ingol. *Sin verò ſeorſim, vtra prius opus aggredietur? Si rationem ſequimur, cum aurum materiæ rationem habeat in hoc dente, dicendũ* χρυσοποιητικὴν *priorem, vt materiæ præparatricem, opus abſoluere. At inquam ego, quam materiam præparat? Auriné, dẽtis, an aurei dentis. Non auri, quia* χρυσοποιητικὴ *ex præparata materia facit aurum. Alius enim facultatis eſt, ſi non re, ſaltem* λόγῳ *præparare; alius formam educere. Illius enim eſt vel alterare vel corrũpere: huius generare. Multò minus dentis materiam præparat, tum quia non poteſt, tum quia iam ante præparata extat in alueolis dentium. Deniq; neq; dentis aurei. Cùm enim hæc nihil aliud ſit quam aurum, vt ſexto argumento dicebas, dentifica poſtmodum ex hac vt inepta nunquam dentem faciet.*

Rul. Subſiſtamus paulîſper hæc tua obiter perluſtraturi, indigna tamen diligenti conſideratione.

1. *Negas* χρυσοποιητικὴν *vel aurificam vim aurum facere*, quamobrem? *quia hæc ex materia præparatâ aurum facit. Alius enim facultatis eſt, ſi non re, ſaltem* λόγῳ *præparare; alius formam educere, &c.* ἀσύστατα omnia. Fateris primò χρυσοποιητικὴν materiam præparare, opusq; abſoluere poſtmodum; dein negas aurũ efficere poſſe, quòd ex materia præparata aurum producat. Imò qu[illegible] χρυσοποιητικὴ aurum facere poteſt, etiam materiam habilẽ præparare valet, omnibus potentiis & facultatibus inſtructa. Si namque χρυσοποιητικὴ τῇ ἐντελεχείᾳ definitur, materia τῇ δυνάμει; hæcq; illius reſpectu eſt imperfectum & inelaboratum quid, illius ſanè erit, materiã omni imperfectione exuere, quod perfectum eſt, taliq; ἐντελεχείᾳ cõſtitutum, vt ex inelaborato imparatoq; paratũ elaboratumq; architectetur. Idipſum & te annuere hæc verba in me licet detorta, arguunt. Ais enim, *Alius enim facultatis eſt, ſi non re, ſaltem* λόγῳ *præparare; alius formam educere.* Si re non differunt facultas præparãdi materiam auri & educendi aurum; cur vni eidemq; facultati vnam ἐνέργειαν adimis, alteram affingis? nobiliorem negas, ignobiliorem affirmas?

Quid aũt tibi eſt præparata materia? An priuata poteſtate ꝓxima ad formã recipiendam apta? ſed hęc priuata dicitur, quę neutri

quam

quam præparata eſſe adhuc poteſt, quòd forma acquirenda orbata propriam formá poſſidet ſuis δυνάμεσι qualitatibusque ornata, abiiciendis ἐντελεχείᾳ ἢ ἐνεργείᾳ ἀτελῆ mutua actione paſſioneque à ſubſtantia tamen nexis, ſuſceptura formam priuatam. Sit tibi exemplo ſemen, quod & propriam formam habet & priuatam; huius gratia, quamquam τῇ ἐπιτηδειότητι deſcribitur, illius tamen reſpectu omninò imperfectum, imparatum eſt & erit, quamdiu ſeminis formam ſuis qualitatibus inſtructam ſeruauerit. Materia verò ſpermatica alterata & immutata præparata efficitur, vt actutum ſit τόδε τι, quod erat id, à quo motionis principium. Quare ad ortum auri non modò requiritur materia priuata, ſed & præparata, alterante autem τῇ χρυσοποιητικῇ: cuius ſi facere eſt aurum, etiam alterare eſt, quod vterque motus idem ſit mouentis eiuſdem licet ratione diuerſus videatur eſſe. *Ariſtot. 3. phyſicorum, cap. 2.* eidem aſtipulatur, dum ait: *Semper autem id, quod mouet, formam aliquam afferet, aut hoc, aut tale, aut tantum: quæ quidem principium erit & cauſa motus cum mouet.*

Hîc non alterius facultatis eſſe affirmat, præparare materiam, alterius formam educere. Sed quod hac ratione mouet, omninò forma præditum ſit oportet. Etenim vel

quoad ſubſtantia eſt vel ratione qualitatis vel quantitatis motrix ἐνέργεια ſubſiſtit: vt verbi gratia, homo actu exiſtés, ex eo, quod poteſt homo eſſe, ſimilẽ procreat ſubſtantiam & ratione qualitatis, item quantitatis, &c. Quod ſi nihilominus alterius facultatis eſſe auri materiam præparare, alterius aurum efficere, falsò opinaberis, hoc largiri tamen te oportebit, facultatem illam præparatricem auri materiam aliquid virtutis τῆς χρυσοποιητικῆς obtinere. Alioquin enim auri materiam apparare haud poſſet; quòd apparatus ille materiæ auro informandæ non in ſimplici qualitatum calid. frigid. &c. immutatione conſiſtat: (Sic enim quiuis materię apparatus auro obuius foret) ſed in certæ craſis ſuis propriis δυνάμεσι inſtructæ prouentu iam iam ἐντελεχείᾳ τῆς χρυσοποιητικῆς perficiendo. Omitto, Ariſtot. perpetuam ſentétiam eſſe, in ſemine animam ineſſe, quæ ſibi corpus fabricet. Quemadmodum in ſeptimo metaphyſ. *Semen*, inquit, *eſt ſicut artifex.* Præparat autem artifex domus materiam eadem facultate, quâ formam eidem indit. Et alibi: ἡ φύσις, ait, τῷ σπέρματι τῷ ἀνδρὸς χρῆται, ὡς ὀργάνῳ, καὶ ἔχοντι κίνησιν ἐνεργείᾳ. ὥσπερ ἐν τοῖς κατὰ τέχνην γινομένοις τὰ ὄργανα κινεῖται, ἐν ἐκείνοις γὰρ, πῶς κίνησις ἡ τέχνη.

Cuius eſt informare, illius etiam alterare.

Si itaque κίνησιν ἔχει τῇ ἐνεργείᾳ, quare

non alterationem, præparationem; maximè cum huius reſpectu generãda res quælibet moueri non mutari phyſicè vereq; dicatur. Sed & de his ſatis. Reliqua quæ ſequuntur, partim ſuperioribus refutata, partim meis nullatenus aduerſa.

Ingolſt. *Deniq; de generatione hac loqueris vt de nutritione & operibus artificialibus. Ais enim aurificam mutare materiam in ſui naturam, inde in aurum. Quod quid aliud, quam à parte quapiam mutari ſanguinem in cremorem, inde in eius ſubſtantiam.*

Rul. Nutritionis forma ſi tibi explorata foret, haud inania iſta mihi obiiceres. Nutritio ſanè exactè penſitata non eſt motus, ſed mutatio potius ſubita & ad generationem potius reducetur quàm ad motum. Vt ſignificauit Ariſt. *eam tendere* dicens, *ad acquiſitionem ſubſtantiæ non accidentis.* Quamquam non perfecta eſt generatio, vt docet Zabarella *lib. de accret. & nutrit.* quia generatio eſt via ad acquiſitionem partium materiæ, vt optimè etiam declarat Albertus conterraneus meus *in lib. de homine.* Ideò videtur potius nuncupanda aggeneratio quàm abſolutè generatio; quia non eſt generatio reſpectu viuentis, reſpectu cuius vocatur nutritio, ſed ſolùm reſpectu partium materiæ.

Nutritio quid?

Quapropter nutritione generationis ratione

tione definienda, quid obgannis ineptam locutionis formam? ſimile dicendi idioma Ariſt. fuit de cauſa generationis & diſcretionis partium fœtus, quam ſtatuit permutationem eſſe ipſam τῆς δυνάμεως in actum, tã in ipſo κυήματι, quàm in principio effectiuo ſemini. τὸ γὰρ, inquit, περίττωμα τὸ τῆς θήλεως δυνάμει τοιοῦτον ἐστὶν, οἷον φύσει τὸ ζῷον, καὶ ἔνεστι δυνάμει τὰ μόρια, ἐνεργείᾳ δὲ διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν γίγνεται ἕκαστον αὐτῶν, ὅταν. ἀρχὴ γένηται τὸ ποιητικὸν καὶ τὸ παθητικὸν θιγῶσιν, ὃν τρόπον ἐστὶ τὸ μὲν ποιητικὸν, τὸ δὲ παθητικὸν, τὸν τρόπον δὲ λέγω τὸ ὡς καὶ οὗ καὶ πότε εὐθὺς γὰρ τὸ ποιεῖ, τὸ δὲ πάσχει.

Ingolſt. *Addis mediante formatrice, dentem aureum producere. Quid hoc aliud, quàm artificem medio inſtrumēto certæ cuidam materiæ formam imprimere.*

Rul. quid de formatrice facultate ſentiēdum, dixi ſuprà. Maximam autem affinitatem eſſe rerum naturalium gignendarum, & arte fabricandarum, apparet tum reipſa euidenter, tum frequentiſſima illa ſummi philoſophi comparatione, qua ortum rerũ & interitum rebus artificialibus artificibus ipſis quàm appoſitè conferre reiq; veritatẽ non tam illuſtrare, quàm demonſtrare ſatagit. Apertum eius textũ iam audiuiſti, dum generationem hominis aptiſſimè artificioſis operibus comparat: ἡ φύσις τῷ σπέρματι χρῆται ὡς ὀργάνῳ, &c.

Ars & natura operationib. ſuis ſimillimæ.

Sedillatione hac tua improba prodis, te non multùm in libris philoſoph. maximè Ariſtot. omnium inprimis lectione digniſſimo, eaq́ue accurata verſatum. Quamquam ingenii vim & eruditionem tibi hiſce minimè derogatam volo. Libertas ingenij ſuo vtitur iure.

Ingolſt. *Quæ cum ita ſint, quid opus fuit tranſlatione χρυσοποιητικῆς, cum potius diſſerendum fuiſſet de tranſlatione materiæ vel coniunctione materiæ & efficientis.*

Rul. χρυσοποιητικὴν ſuo ſuffultam ſubiecto in corpus transferri poſſe humanum haud eo inficias. Quamquam nec hoc abſurdum ſit, vim auri alij ſubiecto inſidentem eò deportatam. Argumento ſunt vina medicata, tincturæ, extracta, thermæ, etiam vim metallicam in ſuo alienoq́ue obtinentes ſubiecto. Facta eſt verò χρυσοποιητικῆς mentio, quia huius eſt ſibi ſimile producere, non materiæ, vt tu vis.

Ingolſtett. *Videamus tamen, vnde transferri cenſeas. Sic autem concludis: non a parentibus mediante ſemine in infantem immiſſus λόγος auriferus: neque per variam digeſtionem & craſium mutationem. Ergò per eſculenta & poculenta: Conſecutionis quæ eſt ratio.*

Non enim intelligitur neceſſitas, niſi manifeſta ſit omnium modorum diſiuncta inductio:

qualis

qualis forſan hæc eſt: quicquid homines natura habent, aut per generationem habent, aut per nutritionem. Hæc enim duo tantum ſunt principia proxima: ſemen & alimentum. Vbi nunc varia iſta digeſtio & craſium mutatio? Nam non ſolùm id quod per generationem communicatum eſt vel nutritionem, quod actu iam ineſt; ſed quod poteſtate: quæ vel mox in actum erumpit, vel tempore reliquo, ſi non impediatur. Vtrouis ſumas modo, redundat illa craſeos mutatio: neq; diuerſa eſt vel à generatione vel nutritione.

Ruland. An diſiuncta enunciatione ſim vſus, textus præfixus teſtabitur: τῷ ζητεῖσθαι & quæſtionibus rem, vt par eſt, ſum aggreſſus κατ' ὑπόθεσιν perſcrutatus modum illatæ τῆς χρυσοποιητικῆς δυνάμεως in hominem. Sit autem diſiuncta propoſitio; quam falſitatis inſimulas hac διανοίᾳ falſa.

Vbi non omnium modorum diſiuncta eſt inductio, ibi nulla neceſſitas eſt conſequentiæ.

In meo enunciato diſiunctio non omnes modi diſiuncti introducuntur: Ergò.

Aſſumptum pernego. Quicquid enim hactenus corpori non conſtituendo ſed conſtituto, de hoc enim ſermo inter nos litigioſus, aduenit oriundum, id aut à parentibus medio ſpermatis communicatum, aut eſculentis vel poculentis translatum; ruſticis & ignaris pronunciatum con-

firmantibus. Si quid forſan aliundè originē ſuam duxerit, quicquid illud ad duos iſtos modos, vtpote principaliores & manifeſtiores aptè referri poteſt. Cùm nemo neſciat, quàm latè & ſpermatis virtus & eſculentorum poculentorumq́ue pateat genus. Verùm cornicum oculos configere niteris, dubio animo argumentatus. Diſiuncta omnium modorum inductio forſan eſt hæc: Quicquid homines natura habent, aut per generationē habent aut nutritionem. Hæc enim duo tantum ſunt principia proxima: ſemen & alimentum. Sed cur non, ſi proxima principia ſunt iſta duo rerum naturâ in homine generandarum, eadem illa aſſeris? Si ſemen & alimentum principia proxima ſunt, hominis & conſtituendi & conſtituti, non generatio & nutritio: hæc ſiquidem motus ſunt; illa principia motus. Abſonum ergò & ineptum motui id aſcribere primò, quod mouenti per ſe conuenit ſol. Niſi ſingularem & propriam vim generationi & nutritioni affingere velis mutationi aut motui, & non potius omne id generanti mouentique acceptum ferre. Eiuſdem hæc loquendi phraſis tolerabilior foret. Quicquid homines natura habent, à ſemine habent per generationem, aut alimento per nutritionem, &c. quemadmodum in primo textu dixiſſe memini, ſi

non

non iisdem, non tamen diſſimilibus verbis, At nihilominus copulatio tua (per generationem & nutritionem) diſiuncta vitio laborabat in eo, quòd multa inſint eximia corpori humano etiam natura neque per generationem neque nutritionem ortum ſuum trahentia. Exemplo ſint τὰ παθήματα, aliæque mentis ἐνέργειαι poſt generationem demum emergentes, concitatæ per alia externa magis.

Præteream culturam ingenij, ſcientiam, artes, virtutes quas nunquam dixeris per nutritionem vel generationem niſi aphiloſophice, hominem habere. Quid magis hominem habere naturâ edicimus, quàm ſanitatem?

Hæc autem neque per generationem neque per nutritionem ſemper præſtò eſſe ſolet: ſed artem oportet quàm ſæpiſſimè errata naturæ corrigere, ſanitatemque per generationem labefactatam commodis fulcris reſtaurare. Idcircò incaſſum mihi redundantiam enunciati: neque per variam digeſtionem & craſis mutationem; obiicis, quaſi generatione vel nutritione illa qualiſcunque ſit, proficiſcatur. Si ſapis, haud dixeris, conſuetudine temperamenta immutata per generationem vel nutritionem accerſita.

Iſta quippe permutatio craſis ſæpiſſimè

oritur in prouecta iam ætate, generatione dudum perfecta, viribus iam iam proſtratis, natiuo temperamento per generationem comparato permutato cauſis procatarcticis. Ita ſi aurum per craſis mutationem & variam digeſtionem, natum fuiſſet; neutiquam, te ita ſomniante, per generationem aut nutritionem fuiſſet. Nam generatio & nutritio ſuos non tranſgrediuntur terminos naturales iis viribus agendi prædita, quibus delabantur à mouente, generante & nutriente.

Quamquam vtrunque variet perſæpè pro obiecto vtriusque diuerſimodè affecto. Sed nec ſic corpus humanum omnia quæ poſſidet per nutritionem & generationem haberet. Nec natura etiam obtineret. Pergamus ad alia temporis anguſtia vrgente, & obiectis ſponte ſua cadentibus.

Ingol. *Sequar tamen quò trahis. A parentibus inquis, mediante ſemine non eſt, quia aurum in iis actu non extabat, alioquin vel viſum eſſet, vel dens aureus aut ſimile quid tanto tempore & tanto vigore caloris natiui enatum eſſet, &c. Hic primum falſum eſt, omnia actu in parentibus extare, quorum potentia in generatione conferuntur. Contrarium enim docet experientia, qua certum eſt, mutilos procreare perfectos nulloque membro priuatos.)*

Rul.

Rul. Ἐνστάσει hac tua tantum abeſt veritatem axiomatis Ariſtotelici conuelli, vt ea firmius confirmetur potius. Quandoquidem à mutilo perfectum gigni hoc ipſo arguitur perfectus non niſi ab actu prȩexiſtente perfecto procreatus. Mutilatum enim principium non niſi mutilum producit effectum naturâ per ſe ἐνεργοῦσα; perfectum cauſa perfecti. Etſi igitur mutilus perfectam ſobolē procreaſſe dicitur, qua mancus generationi nō incumbebat, ſed qua perfectus & integer, δυνάμει omnium membrorū informandorum inſtructus. Membro enim deficiente conſequens non ſtatim eſt, δύναμιν eiuſdem deeſſe; cùm partes corporis humani ipſæmet neutiquam ad generationem ſecedant, ſed virtutes duntaxat, eæque indefinitæ earundem, teſte Ariſtotel. *ipſo lib.1.de generat.animal.cap.*18.19.*& lib.2.c.*4. Sed & mutilum mutilos gignere oportere largiar, ex claudis claudos; an ſecus ſi fit, maxima Ariſtotelica, qua in vniuoca generatione, quicquid fit, ab actu exiſtēte ſimili fieri debere, propterea labefactabitur? Sis vno digito, altera manu orbatus; ob huius vel illius partis penuriā procreabiſné mutilos tales filios? Haud meam tibi elocarem filiam. Annon alterius partis integræ virtus καὶ δύναμις, defectæ ἀπουσίαν & abſentiam reſarcire validè poteſt? Principium dextram manum

Cur mutilus perfectū procreat.

Vtrum mācus mancū ſemper gignat filium.

num informans nonné idem numeroque vnum quid ſiniſtram? Accedit & hoc, quòd generantis virtutem καὶ ἐνέργειαν aliqua parte indigétem explere εὐλόγως queat alterius parentis ſupplemento.

Ingol. *Quid fieret illis, quæ generantur αὐτομάτως, etiam iſta, vt ſpecies fortè nulla extiterit? Teſtantur id exempla abs te allegata* Rul. Reſponſum eſt ad hoc ſuprà, axiomate Ariſt. ſemet ipſo etiam tutante; quod actum præexiſtentem ſimilem requirit in vniuocis generationibus, non ſemper in æquiuocis, & iis quæ ſponte prodeunt ſua, non tamé ſine ſemine. Fieri enim nequit, vt quod potentia tale in actum tendat abſente tali actu faciente, teſte eodem *philoſ. 9. metaphyſ. textu.* 13. Nec oportet propterea agens illud ſic vbique eſſe vniuocum, vt cum homo hominẽ gignit, ſed ſatis eſt, aliquo modo vniuocum eſſe.

Ingol. *Verum quidem eſt, omnem potentiam præſupponere actum: Sed non eiuſdem tamen ſpeciei, niſi rerum æternitatem introducere velimus: vel oppugnare ea quæ ſenſui ſunt euidentiſſima.* Ruland. Anteà negatum iam affirmas. Actum das potentiam educturum non tamen eiuſdem ſpeciei. Ergò diuerſæ. Si diuerſæ, quî id, quod potentia, hoc fieri poteſt, quale id ad quod ἐντελεχείᾳ eſt. Quomodo actus agere in potentia tale di-

cetur

cetur, ſi non hoc ipſum quod habet τῷ δυνάμει ὑπάρχοντι impertierit? Si itaque cuiuslibet ἐντελεχείας naturalis eſt, teſte Ariſtotel. *2. de anima*, & 1. *de ortu capit.* 5. id quod aptum fieri natum eſt, καὶ τὸ πέφυκε γίνεσθαι in actum educere, potentia omni exutã: neutiquam ſpeciei erit diuerſæ, quâ motionis principium exiſtit. Niſi externum intelligas actum, qui tamen ſine Interno & primario res nullas producit naturales. Nec rerum æternitatem hac mente introduci video, aut ſenſui euidentiſſima oppugnari. Hominis generationem vniuocam eſſe & ab actu exiſtente ſimili exiſtere, nemo ſanæ mentis hactenus negabat. Conſequens tamen eſſe, fore propterea illam eandem æternam finis tandem mundi conteſtabitur. Contraria verò mente, eaque tuâ, vtrunque conſequi neceſſarium eſt. Nam præſuppoſitus actus diuerſæ ſpeciei tam huius quàm illius potẽtiam orbatam informabit, vtrobiq; pari inclinatione affe ctus. Cur enim ad huius potentiam educendam magis inclinaret, quàm illius amborum ſpecie differentium? Hoc quid aliud, quàm infinitũ aſtruere in rerum natura. Quod genitum eſſet ſemper, alterius eſſet ſpeciei, &c. Ita quæ ſponte oriuntur, licet videntur abſque actu conſimili prodire, oppugnas tamẽ ſenſui euidentiſſima, ſi ea abſque ſemine orta

ne orta dixeris. Hoc apparet quidem diuerſæ ſpeciei ab eo, à quo deceſſit. Verùm, quando iam ἐντελεχείᾳ & facultate ſua, quã accepit ab eo, à quo ortũ eſt, tale quid, quale erat illud à quo conferebatur, produxit, neutiquam actus perhibebitur diuerſę ſpeciei ab eo, quod actu perfecit, priuata potẽtia abiecta, quod te abſurdiſſimè adferre colligo.

Ingol. *ſunt etiam qui negent*, vt Franciſcus Valleſius ſacr. philoſ. cap. 1. pag. 24. Quercetanus item, *ad auri generationem: ſunt qui negent ad illam, quam natura primò & immediatè molitur, requiri actu aurum, & ad artificioſam requiri aiunt: qua de hìc nõ eſt quæſtio.* Quid Valleſius ſcripſerit, ignoro. Forſan ea caligine offuſus Valleſiũ legiſti, qua Quercetanum. Verba Quercetani ſunt hæc fol. 60. *Natura enim ad generandum aurum duplici modo operatur, primo per ſe & primò, quum in mineris propriis & ex ſuis principiis aurum generat, quo modo impoſſibile eſt artem imitari naturam. Secundò operatur per ſe, ſed non primò, videlicet quia primò generat aliquod imperfectarum ex iiſdem principiis in ſua minera, ipſumq́; vltimò conuertit in aurum: quo modo ars ipſam ſequitur naturam, in eo, quod ex imperfectis metallis ſicut & natura ipſa, aurum tandem procreet.* Quercetanus vir eruditus & rerum chymicarum admodum gnarus

non

nō negat ad auri generationem requiri aurum actu, deſiderans principia auri duntaxat proxima; nec indicat, vnde aurum generandum illa ipſa accipiat. Veriſimile eſt tamen, cum nihil niſi ab actu exiſtēte ſimili fieri poſſit, in his, quorum generatio perpetua, vim auri generātem actu ſemper in mineris metallicis hærere, terra vt virtutem herbarum varia genera producendi, ita & vim metallicam tota ſpiritus ſancti diuinaque benedictione creationis die abūdè largita. Opinaturum verò, virtutem aurei dentis informantem à parentibus mediante ſemine conceſſam alterutrum horum effari oportet: vt vel aurum actu prius in parentibus fuerit, vel δύναμις χρυσοποιητική. Generans enim auri virtus parentibus ita ineſſe non poteſt actu, quemadmodum in mineris terræ.

Ingol. *Præterea neque id ſatis ad auri negationem, quod conſpectum non ſit. Corpus enim humanum non vſque quaq; peruium eſt.* Rul. Multa in corpore noſtro abſtruſa latere negabit nemo; quæ tamen ſi non rationis agitatione eruuntur, ſignisque propriis pateſcunt, tandem tamen corporis defuncti ſectione. Quamquam aureus dens in parentibus ſua ſponte conſpicuus tali indagine haud habuiſſet opus.

Ingol. *Et ſi conſpicuum eſſet aurum, non ſe-*

queretur tamen eius vim eſſe communicatam ſemini, ſiue concedatur deciſio ſeminis ex omnibus partibus, ſiue non concedatur. Aurum enim pars non eſt hominis, ſed toto genere præter naturam. Rul. ſic argumentaris. *Aurum non eſt pars hominis.*

Ergò eius vis non poteſt communicari ſemini humano.

Semē δυνάμει & indefinitè corpus humanum.

Falſiſſimum eſt connexum. Primò enim, partes corporis humani ſemen non obtinet, ſed illarum duntaxat virtutes. τὸ γὰρ σπέρμα non eſt ἐνεργείᾳ νεῦρον, ὀστοῦν, αἷμα, σάρξ καὶ τῶν λοιπῶν μορίων ἕκαστον, ἀλλὰ μόνον δυνάμει τοιοῦτον σπέρμα ἐστὶν, ὥστε ἐξ αὐτοῦ δυνατὸν εἶναι γίνεσθαι αἷμα καὶ σαρκὸς καὶ τῶν ἄλλων μορίων ἕκαστον. Deinde multa etiam non partium nomine digna ſemine homini communicantur, vt ſanguis, humores & reliqua contenta; morboſæ item multæ διαθέσεις, calculoſæ videl. podagricæ, phthiſicæ, epilepticæ, & alia huius generis plura, quæ nec partes corporis humani, nec earũdem naturales δυνάμεις, ſi ſapis, facilè indigitabis. Alterum tuũ enthymema ſimili ſcatet falſitate.

Aurum toto genere eſt præter naturam. Ergò ſemine in corpus non transfertur humanum.

Innumera morborum genera planè præter naturam nonné hæreditario quaſi iure in ſata tranſplantantur, ſpermaté non tam

natu-

naturales quàm præter naturales partium rerumq; cæterarum δυνάμεις indefinitè cõplexo? Negatur & antecedens. Tametſi enim calculus, lumbrici, &c. toto genere præter naturam Medicis dicuntur, aurum tamen illorum catalogo deſtinari nequit. Quod enim corporis humani actioni nulli incommodat, ſed potius partis vſum ſuſtinet, quo pacto toto genere præter naturam deſcribi aurum poteſt? Auro itaq; parentis corpori ingenito, quando ſemen ad generationem iam conceptum reliquarum corporis partium contentarumque potentias obtinet indefinitè, cur non & auri? quod etiam exactiſſimè compactum δύναμιν τὴν χρυσοποιητικὴν minimè denegare naturæ exigenti & artificio, nôrunt ſcienter metallorum tranſmutatores & lapidis philoſophici petitiores.

An toto genere præter naturam aurum.

Ingol. *Denique calor natiuus & tempus non ſunt ſufficientes cauſæ: imò ille ne cauſa quidem. Nam ſubterraneus eſt.* Rul. ἀσυλλογισία mera. Si calor natiuus ſufficiens eſt elaborandi oſſa duriſſima, par eſt etiam calculis excoquendis; ſatis vtique & erit ad aurum producendum. Tempus haud ſufficere in corpore Sileſii ad auri ortum, nondum abs te eſt demonſtratum. Quod enim longo temporis tractu aurum perfici credatur, accidit potiſſimum ob impe-

Cur aurum putetur lõgo tempore excoquendum.

impedimenta varia & materiæ, cauſæ agentis deprauationes.

Cæteroquin cauſis ad auri ortum requiſitis & non præpeditis, fieri ſecus nequit, quin aurum euadat, etiam exigui temporis curriculo. Quid? ſi ad hominis ortum integri tempus ſatis eſt, cur non ad auri? Vtrius motus plus implet temporis? Prætereà calor natiuus tibi non poteſt cauſa eſſe aurei dentis, quia ſubterraneus non ſit? Si lapidis eſt, quare non auri? An calor natiuus à ſubterraneo diuerſus? Si ſpecie differunt, cur vnius & eiuſdem effectus cauſa? Si diſtare dixeris natiuum à minerali, differet non ratione ſui, ſed potius ratione primarii agentis. Calor enim per ſe non eſt differens, niſi ſecundum magis & minus certoſque gradus, quæ differentiam tamẽ ſpecierum parere negat Logica.

Calor natiuus non differt ſpecie à ſubterraneo.

Ingol. *Quid quod ne hoc quidem ſatis medicè innuitur, maiorem eſſe calorem parentum ac liberorum? Reclamat enim Hip. 1. aphoriſ. 14. part. & Gal. de temperamentis 2.* Niſi te tuis medicinæ candidatum inſcripſiſſes paginis, non mirarer Hip. & Gal. loca iſthæc mihi obiecta. Si legiſti Galenum 2. *de temperamentis*, cognouiſti ibidem eũdem, ſint né pueri an iuuenes calidiores? Quæſtio enim hęc contrariorum argumentorum, paribus ferè momẽtis à Galeno noſtro ibi loci diſpu-

An calor maior pueris an iuuenibus.

ci diſputata eſt, quò te iam deductum velim, ne alterius verbis chartas inaniter cōpleam, tempusque aliâs mihi fugaciſſimum conſumam. Iuuenes autem (ne & hoc illibatum prætermittam) calidiores eſſe duobus *φαινομένοις* oſtenditur. Priore, quòd ſint robuſtiores; robur autem à calore. Poſteriore, quòd abundet pituita in pueris, bilis in iuuenibus. Nam pueri pituitam vomunt, iuuenes bilem: & frigidis morbis vt plurimum pueri tentantur, iuuenes calidis. Hinc pueri ſomnolenti, iuuenes peruigiles. Quibus argumentis qualitatem & energeiam caloris in iuuenibus abundare demonſtratur, nôn quantitatem, cuius cauſa puerorum calor inefficax, humoris primigenii copia videlicet obtuſus cenſetur; vſque dum actione naturali eius energia reſiccato humido intendatur, quod in iuuentute ſolet vſu venire. Reliqua quæ ſequuntur de craſios mutatione, &c. indigna reſponſo cenſeo. Textus enim ipſemet meus ſatis me tutatur, intellectusque reſpondebit tua nihil ad rhombum proferre.

Ingol. *Porrò notanda hîc prius duo, quàm alia videamus argumenta. Nam primum pro iiſdem accipis δύναμιν auri & ſemen auri. At ſuprà tibi diuerſa erant, vt & max. Illa efficientem denotabat: hoc materiam.* Ruland. his enunciatis textui meo iterum fa-

cis iniuriam. Pro iiſdem enim & ſemen & δύναμιν auri poſita eſſe textus proculdubio reſtabitur, ſi namque ſemen auri, δύναμιν auri ingenitum habet, & δύναμις auri primarium agens, cur non promiſcuè vſurpentur? Hac libertate fretum Ariſtotel. ipſum libri *de generat. animal.* paſſim commonſtrant. Sed hæc λεπτολογία. Ineptiæ, quæ inſequuntur.

Ingol. *Quibus autem argumentis porrò cōfirmas tuum iſtud veriſimile. Probas potuiſſe puero conferri ſemen auri, & argumentaris à translatione ſeminis. Hic non vrgeo tua illa, quare factum non ſit in illis hominibus; non in parentibus; & tanto tempore; cur nunc non fiat: cur non ante hæc. Nam hunc ſolum iſtarum aut talium frugum participem factum veriſimile non eſt; ſed tantum dico diuerſam eſſe rationem.* Ruland. Veriſimile tibi apparebit auri raritatem, exhalationum auriferarum inopiam, earundem diſſipationem, ſubiectorum impedimenta aliaque accuratius meditato. Mizaldus 1. *Centur. memorab.* hiſtoriam refert de quodam, qui dum in horto, iuxta ſaluiæ fruticem cum amaſia hilariter luderet, & dentes ac gingiuas foliis eiuſdem confricaret, ex tempore mortuus corruit.

Hiſtoria de ſaluia infecta veneno.

Hoc autem accidit ob bufonem prægrādem, & luridum ſub ea, qua maximè refici aiunt,

aiunt, ſtabulantem, viroſo halitu & tabifica illuuie peſtilenteque ſaliua totam plantam inficientem. Nonné pari ludibrio exciperem & hanc hiſtoriam, tuis illis illationibus rogitans; cur ante hac non contigerit in aliis hominibus, &c. *At dicis diuerſam tantùm eſſe rationem*. Cur? *Auri enim ſemen* (Valleſio teſte in ſacra philoſ.) *vt animalium quoddam eſſe non conſtat*. Ruland. Nemo ſemen auri prolocutus, intelliget protinus ſemen animale vegetabilium. Nonné ſemen vocabulum πολύσημον? Sit ergò analogum, per hoc chymicis doctioribus cauſam procreantem inſtrumentariam conſtituentibus, quæ ſit virtus informãs materiam diſpoſitam & perficiens naturæ vegetantis æmula, ab actu agente profluẽs, quemadmodum reliqua ſemina pari ratione definire oportet, ſi quidem rationem ſeminis tenere iure velint. *An aurum ſemen habeat?*

2. Auri ſemen negas per eſculenta & poculenta transferri; *quod frigus in animalibus non ſit, quantum ad congelationem metallorum opus*. Vt videas eruditam tuam ratiocinandi promptitudinem, collige quęſo, ἀσύστατον modò exceptum.

Vbi frigus tantum non eſt, quanto opus ad congelationem metallorum, eò ſemen auri deferri nequit.

In corpore humano frigiditas tanta non

 eſt.

eſt. Ergò. In multiplicem peccas ignorationem elenchi. Maior omninò neganda. In mineris enim terræ frigiditas non modò nulla poſitiua reuerà deprehenditur; ſed aura ſemper tepidior & caloris plus quàm frigoris, venis, copioſiſſimis ſi non auri attamen metallicis exhalationibus & vaporibus refertiſſimis. Quin imò frigiditate vera affirmatâ, negatur omninò metallorum generatio; agentis vim illâ omnem ligante. Ea propter etiam Ariſtoteli corruptiuum principium habebatur. Argumento ſunt venæ omnes metallicæ frigidiores, nihil aut certe perexigui eiusque ignobilioris metalli obtinentes. Minor inſtar maioris vacillat. Abſurdiſſimum enim eſt, faſſo te, aurum frigore tanto coaleſcere, quantum non corpori inſit humano. Vnde dentes, vnde oſſa, cutis & reliqua conſiſtentiam comparant ſuam? Si à frigore vel intenſo vel remiſſo, cur non & aurum? Aurum reliquaque metalla inferiora remiſſiore calore concreſcere vides, interiore remiſtionis principio per ſe concretionem efficiente, frigore duntaxat ex accidente? Priuatiuum igitur potius frigus eſt, quam poſitiuum, quo metalla coëunt, quod & in humano corpore percipitur euidenter; locis ſubterraneis foſſoribus metallicis idem & quandoque intenſum calorem offunden-

Vnde coalitio metallorum.

fundentibus, vbi tamen metalla nihilominus ſuam iuſtam conſiſtentiam conſecuta æquè conſpiciantur, ac ſi frigidiſſimo aëri expoſita forent.

Ingol. *At calor eſt, quo illorum animalium generatio perficitur* Rul. Argumentaris hoc modo.

Quorum generationis cauſæ diuerſæ ſunt, illorum ratio quoq; diuerſa.

Metallorum & animalium generatio diuerſis cauſis perficitur. Hæc ſiquidem à calore, illa à frigore. Ergo.

Maior κατὰ τι & tum demum vera, quando de primariis cauſis agentibus intelligitur, magna etiam ambiguitate laborans. Aſſumptum falſiſſimum eſt. Primùm enim erras grauiter, quòd concretionem metallorum pro generatione eorundem habes; quòd congelatio adiunctum & diſpoſitio mera ſit accidentaria, extra quã metallum nihilominus ſuam perfectionẽ eſſentialem retinet. Deinde hallucinaris pueriliter quòd frigiditati generationem affingis, quę actione ſua corruptionem inducit potius, quàm generationem, niſi ex accidente ſit generans, dum congregando aut circumſiſtendo calorem intus ad generandum quid impellit. Teſte Ariſt. 4. *meteor. c.* 5. *Frigus*, inquit, *actiuum eſt, quatenus corrũpere, aut aliud per accidens efficere poteſt.* *Frigus an ſit generans.*

 3. Illud

3. Illud quoque animaduertendum tibi fuiſſet, metalla non à ſolo frigore neque per ſe concretionem acquirere, vt ſuprà fuſius dictum arbitror; ſed & à calore, qui vel per ſe agendo exiccat, ſiue eiectus frigore ſecum educit humidum. Vtrobique tamen condenſationis autor eſt calor, per ſe diuerſo modo affectionem concretionis perficiens.

Accerſatur huc Ariſtotel. 4. *meteor. cap. 6.* vbi concretione, non vt de generatione ſed affectione quadam hæc verba in medium profert: ὅσα κοινὰ γῆς καὶ ὕδατος, καὶ ὑπὸ τοῦ πυρὸς πήγνυται, καὶ ὑπὸ τοῦ ψυχροῦ. πάχυνεται δὲ ἀπὸ ἀμφοῖν. &c. Annexis reſponſum eſt ſuprà, textu inſuper primo & generationem & variam digeſtionem κατὰ ὑπόθεσιν repudiante. Quanquam firmioribus argumentis veritati propioribus confirmaturis neutiquam reclamabo. Modò apertius conſtare videatur, vnde virtus illa aureum informãs dentem originem ſuam habeat. Quod hactenus abs te minimè eſt explicatum, meaque confirmata potius quàm infirmata.

Ingol. *Deinde probas exhalatione virtutem ſpirituoſam auri in cibos irrepſiſſe duplici argumento; quia metallicæ exhalationes ſic cõmunicentur fornaci, aeri. Si in plantis id fieri demonſtraſſes vel aliis, quæ cedunt in hominis nutrimentum, non obiicerem nunc diſparem*

ratio-

rationem. Fornaces & aer. patent exhalationibus: fruges nequaquam. Hæ trahunt radicibus ſuccum idoneum, qualis exhalatio iſta nequaquam eſt. Rul. Affirmationes & negationes iterum tibi ſunt loco demonſtrationum. Sic in omnibus te facile expedire poteris, dum modò doctis reſponſio iſta conſueta probaretur. Negas fruges ita patere exhalationibus, vt aërem atque fornaces; ratione hac faſcinatus, quòd radices ſuccos idoneos trahant radicibus, exhalatione minerali inepta exiſtente. Quid hoc ad rem? quantum hoc vanitatis? Radices ſuccos idoneos ad ſe trahunt. Ergò plantæ exhalationibus patëre non poſſunt. Et cur radices idoneum ſuccum trahere dicuntur? Cur nō potius ſua ſponte ad plātas alimentum fertur? Si idoneus eſt, cur concoctione & antecedēte præparatione opus? Tractio nónne motus violentus, huius nónne cauſa violenta? At radices plantarum ſecūdum naturam agunt nō præter naturam, quod perpetuum eſſe nequit. Sed mittamus iſta πάρεργα, concedentes ſuccos idoneos à plantis attrahi. *Quare ſi ſucci craſſiores plantas ſubire poſſunt, etiam exhalationes.*

Prius verum etiam te teſte. Ergo & poſterius.

Propoſitio per ſe eſt plana nulla indigēs demonſtratione. Quod enim craſſiori pa-

tet, tenuiori patebit vtiq;, exhalatione ſpōte ſua ſeſe inſinuante. Accedit & hoc: ſi exhalationes viſum vt plurimum ſua tenuitate effugiētes denſiſſima penetrare poſſunt; vtique & plantas vndique peruias & poroſas. Illud verum ſenſus clarè edocent; ſpeculatoresque metallici, non tam in profundo quàm in alto lapides penè inuios metallis refertos inueniunt. Fluxilis enim materia metallica ante concretionem confluere hinc inde poteſt, & vapores à calore ſpirituque excitari, qui ſurſum elati loca inacceſſa occupare, tum & denſiſſimam nimisque compactam terram peruadere haud difficulter queunt. Documento ſit & hiſtoria iam allegata de ſaluia à bufone radici incubante infecta; veneno bufonis conſperſa non ſucco quodam, ſed halitu viroſo, ſiue ſponte ſua plantam penetrante, ſiue cū ſucci vehiculo. Sed hæc manifeſta reuocāt animum aliis grauioribus nimis diſtentum ad finem.

Ingol. *Quæro etiam, cur, ſi vis illa ſpirituoſa, vt inquis, cum cibis in aurū actu abit, id non item fiebat antequam ſumerentur? Tunc enim potius fieri debebat, quia hi frigidiores, ſaltē ad ſenſum animalibus* Rul. Quæſt. hac ſuperſedere potuiſſes & longè ſanè vtiliores mouere aduerſus has meas inquiſitiones modorū auri ſeminis oriundi; ſi diligentiorem agebes inueſtigatorem.

Par tua quæſtio huic,me quæſituro; cur eſculenta inſectorum ſordibus ſpermaticis polluta,non antè generentur,quàm eſitentur? Annon quia cibaria debiliori calore ſunt affecta, quàm vt δύναμιν χρυσοποιητικὴν in actum prouocare queant?Imbecillum enim calorem ad generationem auri ineptū eſſe non tam mineralis locus æſtu foſſorib. moleſtus,quàm artificium metallicū quotidiana obſeruatione comprobāt. An propter defectum materiæ? At ſemen ineſſe illis multoties,te obiectore,affirmaui. Suprà quidem ſignificabam vim ſeminis, quo nō materia,ſed δύναμις & primarium agens potiſſimum intelligitur. Aſſit verò eidē materia ſubiecti loco. Putásne trāſire id in conſtitutionem auri. Tranſeat. Haud tamen ſufficiet tantillum materiæ ad tanti corpuſculi conſtitutionem, non accedente materia habili & idonea. Hæc cum deſit,maxima ex parte eſculentis poculentiſq;, aliaq; plura paſſim obiiciantur obſtacula, probabilius eſt,propoſito modo aurum natum.

Ingolſt. *Conciliatio verò materiæ duplicis, quam adfers,cōtraria eſt,tum ſententiæ Ariſt.* 3.meteor.cap.vlt. & Quercetani reſpon.ad Aubertum pag.39. *tum rationi ex tuis dictis & experientia quotidiana deſumptis.*

Rul. Nego cōciliationem Ariſtoteli aduerſam; hoc ſecus ſe habere oſtendi ſuprà.

An exhalatio ſit proxima metallorũ materia.

Quæ autem loco citato Quercetanus habet de vapore & halitu proxima metallorum materia,ex Schegkio philoſopho inſigni deprompſit. Diſpiciantur. 1. Offerunt ſeſe,inquit,tam craſſi vapores ſubterraneis in locis,vt interdum etiã propter craſſitudinem, teſte Gal. ſuffocentur. Quod ſi tam craſſi ſunt, quis credet, contrariis prædita qualitatibus eſſe tum metalla tum halitus, quo minus etiam ſine altero medio in ſolidam metallorum materiam concreſcere poſſint,quemad.ponderoſus vapor in pruinam? Argumẽtatur itaq; à ſenſu hoc modo.

Vapores craſſiſſimi in viſceribus terræ mineralibus occurrunt.

Ergò iſti proxima ſunt metallorum materia.

Neganda eſt conſecutio. Quamquam enim vaporibus mineralibus denſiſſimis interanea terræ repleta; neutiquam ſtatim conſequens erit, illos proximam metallorum eſſe materiam: quod eorum maxima pars minerali natura non ſit inſtructa, quomodo ergò proxima metallorum materia eſſe queunt? Accedit quod plurima terræ antra metallis fœcũda, vaporibus vacua luſtrentur. Imò,ſi proxima metallorum materia, exhalatio vaporoſa exiſtit; neceſſariũ omninò eſt,eam vbique præſtò eſſe & quidem ſemper, quando generatio metallorũ

vel

vel fit vel facta eſt. At hanc ſemper metallorum ortui ſubiici, experiẽtia quotidiana, ſenſusq; ipſemet contradicit. Doctiſs. Libauius in prima ſua de metall. generatione, aliquot exempla refert, quibus ſenſus iudicat aqueum corpus eſſe metallorum principiũ non vaporem. Inter alia, in Lygiis ad Sagam oppid. dicitur ferrũ erui ex ſcrobib. in planitie depreſſis ad altitudinẽ bipedalem, ad has aiunt cõfluere aquá ferruginoſam, quæ mutetur in terram viſcoſam tenacem, ex qua poſt decennium excoquatur ferrum. Vbi hìc vaporoſa metalli ferri exhalatio? materia ſcil. proxima. Si proxima & immediata, cur aqua dicitur ferruginea confluxiſſe? Puerile eſt, quod de concretione pruinę addit. Nam licet ita concreſcant, quemad. teſte Ariſt. pruina fertur concreuiſſe; nondum tamen poterit ex Ariſt. textu ratione conſentiente extorqueri, amborum generationem omni ex parte æqualem eſſe, vel, de quo iam lis inter nos, vtriuſque & metalli & pruinæ ſimilem proximam materiam; ita vt quemad. huius materia vltima vapor, ita illius etiam ſit; quemadmodum halitus diuerſitatem ipſe Ariſt. viderit probè. Pruinæ ſiquidem ortus momentaneus eſt, nec perfectum quid miſtum, & planè videtur aliud nil, quàm vapor obiter & perperam cõcretus. Metallorũ longè aliam rationem

eſſe

eſſe materiæ reſpectu proximæ, adiuncta omnia euincunt, ſicuti ſuprà latius de eodem diſputabam. Ariſt.inſuper 1.*de ortu & interitu, cap. 10.* μίξις, inquit, ἐστὶ τῶν μικτῶν ἀλλοιωθέντων ἕνωσις. Iam fateri te & Quercetanum oportet, metalla perfectè & aurum perfectiſſimè eſſe miſtum. Si ἐντελὴς miſtio auri, quomodo ex vapore & exhalatione proxima materia conſtant? Exhalationes μικτά ne ſunt? At loco citato ea miſtilia eſſe aſſeuerat Ariſtot. quæ facilè terminari poſſunt: quid autem magis ἀόριστον exhalationibus? quæ exhalationem immediatè & proximè rem conſtituendarum ἕνωσις. Vnionẽ nónne præcedit alteratio? Alterantur calore & frigore. Alteretur ergò vapor calore, (huius enim in miſtionem actio primaria, viribus tamen quandoque peculiaribus à principio miſtionis mutuò acceptis) nónne neceſſariò trãſire illum alteratũ oportet in aquam, reipſa & meteor. libro primo demonſtrante? Anticipare alterationem dicturo concretionem frigore cauſatam; reſpondero, veram dum haudquaquam fore miſtionem. Ad veram quippe miſtionem teſte Ariſt. loco multoties memorato, requiruntur non ſolũ corpora τὰ μικτὰ, ὁμόυλα πόσον σύμμετρον habentia, εὐδιόριστα: Sed & vt ὅλα δι᾽ ὅλων miſceantur, denique vt ſint ἀντιπαρέχοντα, quæ in ſe mutuo agant & patiantur,

Quæ neceſſaria ad miſtionem.

tur. Quomodo, cæteris conditionibus iam non ad trutinam rationis appenſis, vapores & exhalationes in ſe mutuo agere & pati queant, concretione maximè præuenti videre ſanè ne laborioſo conatu haud queo?

2. Quercetani argumentum eſt hoc. *Deinde ſi are & ferro pluiſſe, ac in ſupremo aëre lapides etiam ac talia corpora illa cõcreſcere & procreari innumeri teſtantur, quomodo tandem hæc ex aqua & terra potius generabuntur, quibus commorandi locus non eſt, quàm ex halitu & vapore, qui & penetrare & conſiſtere illic tenuitate & calore poſcunt.* Argutiæ mirabiles. Quicquid graue eſt, argutatur Quercetanus, illud supernè conſiſtere nequit. Æs & ferrum grauia ſunt, Ergò in ſupero loco quieſcere non poſſunt. Concedo totam lubentiſſimè; pernegans conſectarium.

Quod graue eſt illud in ſuperis concreſcere nequit.

Æs & ferrum grauia ſunt.

Ergò in ſuperioribus fieri & condenſari haud queunt.

Pernego, inquio, reſpondens, peccari in fallaciam κατά τι & ignorat. elenchi. Grauia quidem vt grauia ſuprà ſubſiſtere nequeũt, ſuum locum complectentia. At materiam eorum aliquam eò eleuatam generari graueq; produci poſſe quis ibit inficias? Quin

imò

imò ex naturali illorum ὁρμῇ pluuiarumq́ue inſtar delapſu, patet euidéter vapores & exhalationes proximam metallorum materiam non eſſe. Etenim ſi forent, vt leuia, & exhalationes vaporoſæ ſuperum obtinerét locum, vt pruina, ros, &c. nec imum peterent, quemadmodum metalla grauiſſima infimam petentia.

Condenſationem nihilominus prætendendi obiiciam; materiam proximam & immediatam qualitercunq; affectam, retinere tamen naturam ſuam internumq́; motus & miſtionis principium; adiunctis & diſpoſitionibus ſeu affectionibus eſſentiam & eſſentialia ne minimum immutantibus.

3. Tertium noſtram perbellè confirmat ſententiam: Illud huiuſmodi eſt.

Quicquid in vapores vltimò reducitur, illud ex iisdem conſtet, neceſſe eſt, teſtantibus omnibus philoſophis.

Metalla ſublimationibus in vapores & exhalationes euaneſcunt, auro & argento excepto: Ergò.

Nugæ hæ ſunt indignæ tanto viro. Propoſitio falſiſſima. Nihil enim verè coagmétatorum vltimò in vapores abit; ſed duntaxat primò: terrea portiuncula ſemper relicta nec vnquam in auras euanidâ. De corpore humano ἀναστοιχειώσει reſoluto, par ratiocinatio inſtitui poſſet; ſed quid veritatis

inde

inde emergeret? An conſequens corpus noſtrum vltimò ex vaporibus conſtare & immediatè? Producantur teſtes pyrotechnici & periti chymici, interrogandi; an metalla vltimò in vapores & exhalationes abeant? Affirmantibus aſtipulabor & deplorabo meam cæcitatem, viſu, prô dolor, natura hebetiori afflictus. Redeunt liquata non tam in vaporem quàm ſuctum veritate veriore ſanctè confirmante. Conſtabunt ergò ex duplici materia, vapore & ſucco ſeu humore ſpiſſiore, alterutro immediata & proxima materia. Propoſitione Quercetani decernente.

Illud erit proxima metallorum materia, in quam illa tranſeunt vltimò.

Metalla autem reſoluuntur vltimò in ſuccum & liquorem concretum.

Ergò ille proxima metallorum materia.

Quid de auro iudicij? Hoc quod aurum nunquam in vaporem & exhalationem igne etiam ardentiſſimo reſoluitur; at in liquorem ſeu ſuccum denſiorem, ex quo immediatè conſtituitur. Hæc de tertia quæſtione ἀνασταλτικῶς καὶ καταςαλτικῶς dicta ſatis; delibabimus & quartam.

QVÆ-

QVÆSTIO IIII.

An ὁ χρυσόδους ſeu dens aureus, ἁπλῶς naturalis καὶ κατὰ φύσιν.

Ingolſt.*In huius quæſtionis ſolutione, negas id, quod hactenus adeò ſolicitè contendiſti: & poſt longos errores quaſi in viam redis. Quid enim? annon hoc purè & ἁπλῶς naturale eſt, cuius omnes cauſæ circumſtantiæq́ naturales: & generatio naturalis.*) Paucis omnia comprehendi poſſunt hoc pacto.

Cuiuſcunq́ generati cauſæ omnes, circumſtantiæq́ naturales ſunt, illud ἁπλῶς naturale ſit neceſſe eſt.

Aurei dētis generatio, cauſæ omnes, circumſtantiæq́ naturalia ſunt: Ergò.

Aſſumptū probare ex meis niteris, textū διαςρεφόμενον: ſicuti cuilibet candido lectori per tranſennam mea ſaltem contemplato patebit.

Aſſumptum igitur nego; textus enim meus ſic ſe habet: *Nunquam credo, auditum eſt in humano corpore, vel dentem vel aliud quiddam aureum eſſe natum: propterea etiam fatendum eſt, dentem hunc aureum παρὰ φύσιν πῶς præter communem & vſitatum naturæ curſum eſſe; ideoq́ etiam in numero τῶν τεράτων ſeu miraculorum ponendum, tum loci tum dentis ratione.* Duplici ratione hic textus ait, dentem hunc aureum miraculoſum, & παρὰ φύσιν πῶς: quomodo ergò non omnibus

cauſis & circumſtãtiis naturalibus affirmatis, dentem aureum ἁπλῶς natũralem affirmari oportet? Obgannis iterum textu deprauato; quaſi argumento quinto quæſtionis ſecundæ locum naturalem eſſe contenderim, & vix commodiorem aureæ materiæ generandæ. Appello textum tum primum tum iam explicatum. Commodus aliquis locus eſſe poteſt, ad rei ortum, at non naturalis. τὰ φάτνια dentium naturaliũ commodum cedebant locum aureo denti generando, ſed non ἁπλῶς naturalem. Auri enim vt reliquorum metallorum locus naturalis habetur minera terrę, loca ſubterranea: ſed hoc de ſimpliciter natiuis & perpetuis accipiendum eſt. Plures etiam partium corporis humani locum dant calculis gignendis, non naturalẽ ſimpliciter, at commodum tum vacui tum materiæ & efficientium aliorumque reſpectu.

Obiectas & 6. argumentum, quo cõtendebam, formam eſſe vnam ſufficientem ad probandum verè naturalem eſſe dentem. Quid de forma dentis aurei æſtimandum, intellexiſti haud dubiè ſuperioribus. Iniurioſus autem es textui meo, quod ei affingis verba; verè eſſe naturalem dentem. διαστρέφειν textum meum iniquè ſoles; qua fronte, tu videris. Habet quidem formam αὐλοφία

conteſtata, dentis, ſecundum quædam adiuncta reliquis dentibus quoq; communia; quorum nomine arguebam effectum naturale ſeu dentem naturalem, minimè verò dentem verè naturalem.

Pergis nugari contradictionem apertiſſimam ſomnians: *Si enim*, inquis, *nunquam auditum eſt, in homine quicquam natum eſſe aurei: taliaq; ſunt præter vſitatum naturæ curſum: quomodo planè naturaliter natus eſt dens aureus? ſi παρὰ φύσιν ἁπλῶς, loci & dentis ratione, quomodo planè naturaliter enatus?*

Textus candidè dextreq; pſpectus docebit te, quib. de cauſis dens aureus παρὰ φύσιν πῶς dicendus ſit; reliquorum reſpectu, quid obſtat planè naturaliter enatū pronunciare? cauſis naturalibus nō tam edictis quàm demonſtratis. Hiſce aſtipulantur probè ſequentia textus primi verba: *Præterea nihil ſimul ineſſe video, &c.* Quare diligentius mētem ſi animaduertiſſes meam, haud tam ineptis interrogatiunculis me laceſſeres; contradictione apertiſſima obiecta; quę tamen cum diuerſo reſpectu conſiſtere nequit. Atque ſic pleraque tua percurriſſe me video; nihil, quod alicuius momenti eſſet, refutationeque dignum prætermittens. Quamquam quotidiana moleſtiſſimaque praxi haud rarò perturbatus, cogitata mea

ſæpiſ-

ſæpiſſimè interrumpere, ægrorumq; curationibus intentis commutare fuerim coactus. Quod ſi nè his ſatisfactum veritati opinaberis; dabo operam ſedulò, vt tua conſiderata ἀνταποκείσει (ſi quam modò verè meditari in me vales) acutiora intendam tela, ſine vi, ſineque animi liuore. Valebis interim, & veritatem philoſophicam amabis; gratias immortales IESV Chriſto humani generis ſaluatori mecum habiturus, veris τοῦ χρυσοδόντου cauſis diuina benedictione erutis.

FINIS.

REFVTATIO.

τῆς χρυσοδοντοσκοπίας.

M. IOHANNIS INGOLSTETTERI NORIMBERG. QVATVOR quæſtionibus comprehenſæ.

ἀνασκευὴ

Primæ Quæſtionis.

DENTEM aureum non eſſe verum dentem, nec naturalē homini, ſeptem confirmas argumentis ſyllogiſmis conciſè illigandis.

1. *Quicquid materiam veri & humani denti non habet, illud non dens verus eſſe poteſt, neq; naturalis homini.*

Aureus dens materiam veri dentis non habet: Ergò.

Pueri vituperant formam ex puris negatiuis conflatam. Propoſitio autem neganda Elencho & κατά τι & ambiguitatis. Quāquam enim materiam dentis oſſei non habet, ob quam ſimpliciter naturalis dens eſſe nequeat,

nequeat, alia tamen ratione & quidem potiori talis & eſſe & dici iure optimo poterit. Ariſt. 4. meteor. cap. vltimo ait, *Tunc enim cur quodq; ſit, & quid ſit ſcimus, cum materiam aut rationem, ſed maximè cum vtramque & vnde ſit motionis exordium, cognoſcimus.* Quare tuo primo argumento tale repono.

Quod dentis rationem veram habet illud dens & eſt & dicitur verus.

Dens aureus rationem dentis veram habet: Ergò,

Maioris veritas patet textu Ariſtotelis citato. Minoris; tum ſupra dictis tum iam dicendis. Res quæq; à ſuo opere cognoſcitur, quod cum præſtare poteſt, tale reuera dicitur, ſi non poſſit ὁμωνύμως ita appellari ipſum contingit. Neq; enim oculus eſt qui non videt, nec dens expers vſus ſui proprij. Sic Ariſt. τὰ μὲν γὰρ δυνάμενα ποιεῖν τὸ αὐτῶν ἔργον ἀληθῶς ἐστὶν ἕκαστα. οἷον ὁ ὀφθαλμὸς εἰ ὁρᾷ. τὸ δὲ μὴ δυνάμενον ὁμωνύμως, οἷον ὁ τεθνεὼς, ἢ ὁ λίθινος. Dens itaq; aureus quia opus veri dẽtis perficit, (quod eſt maſticatio, cõtritio, id quod euicimus ſuperioribus) ad quod & forma inſtrumentali, vt oſſeus alius indutus, ratione dentis vera vſu & formâ organicâ ab Ariſt. definita iam ſanè potitus. Si materia oſſea argueret dentem verum, omne id quod

ex oſſea materia conſtaret, dens foret.

Quod abſurdũ vides ipſemet abſq; conſpiciliis rationis. Dens hominis euulſus aut ſponte elapſus densné tibi verus erit? Affirmare te oportet, nî propoſitionem tuam negare velis, qua materiã adeptum oſſeam dentem verum deſcribis decernisque. At dens euulſus verus dens eſt materiæ oſſeæ conſideratione: Ergo.

Si materia oſſea conſtituit dentem verũ, rationẽ nomenq; eidem cõcedens: neceſſe eſt illa poſita poni & dentem. At hoc falſum iam eſſe liquet: Ergo.

Quid autem reſponſurus Ariſtoteli aſſerenti partes ſuo vſu & agendi facultate priuatas deponere rationem & nomen ſuum, nec niſi homonymos antiquo nomine appellari?

Inde & hoc emergit πόρισμα tibi primò argutanti opponendum.

Quod vſum commodumq; præſtat homini, illud neceſſe eſt eſſe naturale eidem. Dens aureus vſum eum præſtat commodumq;, quem reliqui dentes: Ergò.

2. Argumentum tuum. *Quicunq; dens ſenſu caret, ille nec verus nec homini naturalis. Deus aureus ſenſu caret: Ergo.* Paralogiſmus merus. Primùm enim ſupra indicatum eſt, tantum abeſſe ſenſum de eſſentia dentium ſtatui, vt multi illis ipſis prorſus adimant. Nec pauci habentur qui licet dentes aliquo modo ſentire concedant, ſenſum tamen illis non per ſe & natura ſua, ſed ex accidente

cidente gratiaque ſubſtratæ membranæ neruoſę ad gingiuarum ſubſtantiam potius quàm dentium eſſentiam pertinentis, ſenſuque acutiſſimo prędita, aſcribentes. Veluti capillos & vngues ſentire iudicamus, vtrosq; nō ex natura ſua ſenſus experte: ſed potius hos propter membranam admodū ſenſilem & carnem ſubiectam conſtituentem; illos verò ob pericranium cui infixi conſiſtunt.

Minori refragabitur teſtimonium Horſthij & aliorum qui inſtituto examine Lydij lapidis aureum dentem eo modo ſentire intellexere quo reliqui. Annectis & hoc, *nec per naturam auri habere ſenſum naturaliter poteſt.*

Reſpondeo: datur, aurum quidem natura ſenſum nō habere naturaliter, ſed in corpore humano enatum talem dentem habere poſſe & hiſtoria locuples & ratio ipſa dictitat. Si enim dentes ſenſum, te teſte, habere poſſunt, quid impedimento eſt quo minus & aureus dens eodem ſit delibutus. An obſtat durities? ſed hac ſenſum negante oſſa omnia ſenſu priuabuntur, ſpiſſitudine auro vix cedentia. An non propter naturam amborum ſenſui adipiſcendo ineptā membranula ſēſu acutiore donata ſubſternitur?

Quorum iam dentium, oſſeorum an au-

rei natura, ad illius membranulæ ſenſum recipiendū magis naturaliter prona? o ſſeorum dictorum ſecūdum cōmunem naturæ curſum natorum rogabo; cur non aurei ea aptitudine naturaliter interno motus principio affecti ad ſenſum recipiendum quæ reliquorum.

Propugnare tertiò niteris primam tuam quæſtionem hoc connexo.

Quod ſenſum nō habet, illud nec principium ſenſus nec naturam.

Aureus dens ſenſum non habet: Ergò.

Maior explodenda protinus. Cerebrum oſſa aliæq; partes corporis ſenſu deſtituuntur, principium tamen ſenſus, imò & naturam minimè obtinere quis affirmabit? Si etenim partes ſunt & quidem corporis viuētis, animatę erunt; ſi animatę principio ſenſus vtiq; haud erunt priuatæ, anima forma hominis totum cōſtituente & perficiente. Nec conſecutio vlla obiicientis. *Si principiū ſenſus habent, ſentire illa oportet.* Conſecutionem aio nullam. Nam quoad οὐσίαν vbique ſunt potentiæ animæ in toto corpore & in partib, ſingulis. Quod verò attinet ad operationem & actionē, non ſunt omnes δυνάμεις ſimul in toto corpore & ſingulis partib. ſed vnaquęq; certa organa ſibi cōuenientia ad ſuam actionem edendum adepta eſt.

Hoc

Hoc eſt quod Scaliger dicit: *Vbi inſtrumenta ſunt accommodata, ibi poteſtas exercet actumſuum; Et ſi oculus eſſet in digito, digitus videret per oculum.* Sic multis membris ſenſus ineſt (intellige de potentia) quæ non ſentiunt actu ſcil. Somnium delirum eſt quando ſenſu orbatis naturam adimis, argumentatus.

Quod nec ſenſum nec principium ſenſus habet, illud nec naturam habebit.

Aureus dens nec ſenſus nec principium ſenſus conſecutus, Ergo nec naturam.

Senſu enim negato ſenſusque principio, non ſtatim neganda natura, ſiquidem omni animatione aureo denti denegata; te concedere tamen oportet naturam illum auri habere rationibus ſuperioribus perſuaſus. Quot inſuper in vniuerſum res inanimæ ſenſu defectæ, naturales nihilominus naturaliterque generatę? Exempla paſſim obuia exiſtunt.

4. *Quod finem dentis non habet, illud nec verus dens nec naturalis homini.*

Aureus dens eiuſmodi: Ergo.

Minorem probas, quod aureus dens aptus non ſit ad diſcernendum noxia ab vtilibus.

R. Fallaciam committi non cauſæ, dum finem fictum, aut certè minimè principalé

den-

dentibus humanis affingis, quorum tamen actio principalis in cõtritione conſiſtit potius & manducatione, tùm forma organica, tum dentium ineptitudine ad ſenſum recipiendum id atteſtantibus. Oſſei etenim æquè inhabiles ſunt ſenſus ἐνέργειαν exercendi atque aureus.

5. *Quicquid in alieno loco naſcitur, illud nõ poteſt eſſe naturale. Aureus dens in alieno loco naſcitur. Ergo.*

Propoſitio falſiſſima. Ferrum, Auicenna authore, Lapides & alia experientia quotidiana teſte, in aëre naſcuntur: quæ tamen in ſe conſiderata naturalia ſunt, etiam in aëris loco peregrino prognata. Ita obſeruatũ eſt quòd inanis Cadmia ante Caſam proiecta poſt aliquot annos argentum fuderit. Et idem factum in metallo plũbi cinerei. Adiunt aliqui excoctum etiam æs, auri expers, ſucceſſu temporis aurum prębuiſſe. An hęc propterea non naturalia, quod in terræ viſceribus metallorum natiuo loco non ſint facta? Quid de artificiali auro cenſendum, loco artificiali tranſmutato? quod quanquã arte paratum ſit aurum, quia tamen non ſine natura primariò operãte perficitur, huius mutationis comparatione naturale vocandum, illius artificiale, fuſius te Libauio docente in ſecunda diſputatione metallica de tranſ-

Libauius prima ſua diſput. metallica theſi. 101.

de tranſmutatione metallorũ. Quid de calculis in corpore humano natis? Nonne vt calculi ſunt naturales, phyſicè & non medicè conſideraturo? At & illi in alieno loco geniti.

6. Quicunq; dens formam ſpecificam non habet, ille non verus & naturalis eſſe poteſt.

Aureus dens formam ſpecificam dentis non habet. Ergo.

Minorem probas quia materiam non habet, ſunt enim ad aliquid & alterius materię proxim æ alia forma & contra inquit Ariſt. *2. phyſicorum.*

Concedebam ſupra formæ cuilibet ſuã deberi materiam & contra, &c. Sed quam intelligis formam ſpecificam? Eloquere. An craſin & miſtionis diſpoſitionem oſſeam, an aliquid aliud? Dentem aureum quod oſſea craſi careat, & dentium verè naturalium formâ miſtionis, faſſus ſum ſemper tali reſpectu miraculoſum; cęterorum verò comparatione, inprimis quòd organica forma inſtructus, vſum & actionem reliquorum dentium oſſeorum operationi planè parẽ ſortitus ſit, naturalem dici poſſe eſſeque oportere. Hæc de prima tua quæſtione ex abundanti diſcuſſa.

άνα-

ἀνασκευή.

QVÆSTIONIS. II.

Naturaliter non eſſe generatum dentem aureum nec aurum, octono argumentorum robore confirmare conaris.

1. *Quia non eductus eſt è materia potentia, igitur non naturaliter generatus.* Antecedens probas. Nulla enim eſt materia quæ potentiam aurei dentis in ſe naturaliter cõtineat.

Fallaciam tibi repono petitionis principii. Nunquam enim abs te demonſtratum eſt, dentem aureum è materia potentia non eſſe eductum, neque oſtenditur negando materiam priuatam aurei dentis. Ad auri generationem requiritur quidem auri materia priuata, poteſtate proxima ad aurum affecta, non tam hic quàm in viſceribus terræ, qualem in corpore humano ne ego affirmo materiam verè priuatam, alioqui cauſis actum prouocantibus in corpore humano ingentibus, crebrius aurum in corpore naſceretur. Verum enimuerò χρυσοποιητικῇ δυνάμει in corpus humanum delatæ materiæ potentiam abeſſe nondum tibi cõceſſero. Superioribus ſenſuq; patet materiã metallarem aquoterream eſſe talemque ſub materiam in corpore humano exiſtere & ad eandem dentium materiam proximè

acce-

iccedere, ad quam χρυσοποιητικὴ Virtus aliũde delata appellens, fieri omninò naturaliter oportet aurum, vel pro materiæ diſpoſitione aureum quidpiam, vis enim hæc metallica actuoſiſſima eſt & materiam etiam multùm inhabilem tranſmutare valet, quẽadmodum teſtatur aurificium artificiale & aliorum metallorum quotidianæ elaborationes. Teſtimonio quin etiam Cadmia eſt extra caſam proiecta, quę progreſſu temporis in argentum tranſiit, Cadmiæ materia nondum omni ex parte potentia próxima inſtructa. Si verò materiæ inhærens proprię vt ſubiecto proprio virtus aurifica corpus ſubiit humanum, ad alueolos dentium delata aurum naturaliter producat neceſſe eſt. Nec proſpiciẽdum diu de materiæ potentia in corpore humano ad aurum. Et licet exigua nimis videtur illa τῇ χρυσοποιητικῇ ſubiiciens, virtute tamen maxima tanta euadere poteſt quanta ſatis eſt ad aureum dentem generandum, loci aptitudine & materiæ diſpoſitione ad dentis formam organicam inclinantibus. Nihilo tamen ſecius deficiente materia ad aureum dentem efficiẽdum ſufficienti, reſarciri damnum facilè pcterit appulſu humoris, deinceps dẽtem oſſeum conſtituturi, qui aqueus terreus à robuſtiſſimo auri agente immutari poteſt, inhabi-

habilitatem, ſi quam obtinent, efficacitate ſua omnem auferente.

2. Argumentum tuum tale. *Naturaliter non eſt generatus dens aureus, quia principium motus non eſt naturale*; Neganti poſterius hanc adfers probationem: *Cum dens iſte ſit ἐκ τῶν τεράτων.* connexus fiat logicus.

Quæ ſunt è numero τῶν τεράτων ſeu miraculorum, illis non eſt principium motus naturale.

Aureus dens eſt ex numero miraculorum Ergo.

Elechus κατὰ τι, equidem multa ſunt miraculosè nata, quibus tamen principiũ motus naturale fuit. Cuiuſmodi ſunt pleraque τὰ παρὰ φύσιν πῶς τέρατα & naturæ ἁμαρτήματα. Quomodo igitur iſta principio motus naturali deſtituta eſſe poſſunt, cum natura impedita motu naturali dicatur monſtra producere? Quomodo impediri natura poteſt, motu naturali defecta? Quomodo aberrare à fine ſuo, principio motus naturali priuata? In metallis ſæpiſſimè inueniuntur miraculoſæ celaturæ & Characteres, an propterea illa principio motus naturali deſtituta erunt? De cæteris par iuditium.

3. *Naturaliter non eſt generatus aureus dẽs, quia motus ipſe non eſt naturalis, Non enim*

aurè

auro, alteri ipſius principio; cum aurum ita citò non generetur teſte experientia & Quercetano pag. 56. reſp. ad Aubert.

Tertia hæc tua argutatio nugas multas complectitur. Motum naturalem metiris regulari tempore rei naturâ competente. Argumentaris ergo hoc modo:

Quod diſſimili tempore mouetur, illud non eſt naturale.

Aureus dēs diſſimili tempore naſcitur. Ergò.

Propoſitio eſt falſiſſima. Quot rerum genera quæ diſſimili tempore nata neutiquam principio motus naturali carent? Maſculus & fœmina nonne inæquali tempore naſcuntur? An hi propter inæqualitatem motus non naturaliter generati habebuntur? *Minorem probas autoritate Quercetani & experientia, aurum haud tam citò generari conteſtantibus.* Dico experientiam illam particularem eſſe, conſtareque eadem aurum indefinito tēpore vt & reliqua metalla produci, pro diuerſitate loci & cauſarum agentium. Si enim præſto aſſint cauſæ aurum efficientes, nullo obſtante impedimento, quid prohibet, quo minus mox naturali motu prodeat aurum? Quercetanus de imperfectis loquitur metallis, natura impeditâ effectis, quæ tamen tandem tractu temporis remora ablata aurum

fieri

fieri poſſunt. Verba eius ſunt: *Hoc autem poſſunt teſtari metallici effoſſores qui in centum pondo plumbi, reperiunt aliquot vncias argẽti optimi, quod illis pro maximo lucro habetur. Sed & in fodinis nonnullis æris, inuenitur quoque aurum, ſic & in argenti fodinis; quod vbi compererunt iſtarum rerum periti, vel quoties argentum imperfectum inueniunt, propter indigeſtionẽ fodinas occludere conſueuerunt, ſuadentq́ vt per triginta annos, aut plures ita dimittantur donec fiat perfecta concoctio à calore ſubterraneo.* Quercetanus his nullum certum tempus auri generati nec longum nec breue conſtituit, de tranſmutatione metallorum inferiorum in aurum duntaxat diſſerens. Manifeſtum etiam eſt, dictis Quercetani & in ſequentibus legendis tibi longitudinem temporis auri vel huius vel illius generandi neutiquam pendere ex natura per ſe aurum generante; ſed præpeditâ potius vel mineralis loci, vel cauſarum agentium aliorumq; ineptitudine, debilitate, deprauatione vitioque. Veritatem horum comprobant quotidiana Chymicorum artificia, vnico ſeptimanæ ſpatio plus vitii induſtria ſingulari, labore non leui adimentium metallis inferioribus, quàm natura metallica loco minerali valde impedita vix multis annis facile præſtiterit. Quare ex accidente vſu ve-

ſu venit, quod aurum tanto temporis curriculo interdum perficiatur, alioquin natura ſua ſpôte agête liberè citius aurū elaborare potente. Argumento ſunt tránſmutationes metallorum inferiorum in aurum à maioribus Chymicorum peritiſſimis & paucis noſtratiū reuera perfectæ, non anni ſpatio, ſed breuiori dierū curriculo. Deinde textus Ariſtotelicus citatiorem metallorum motum arguit, dum vaporoſam exhalationem ante in metallum abire docet, quam in aquam vertatur: quod ſanè tam diuturna mouentium cunctatione contingere nequit. Accedit quod in alueolis pueri Sileſii aureus dens ſubitò non ſit natus, ſed tantum temporis ad ſui ortum metiebatur, quantū diſpoſitio cauſarum agentium & reliquorum dētium productio exigebant. Imò quia tēpore natus dens aureus etiam te aſſertore, iudicandum eum nō omninò præter & ſupra naturam natum eſſe omnem.

Quicquid enim in tempore mouetur ſiue cito ſiue longo, modò per prius & poſterius menſuretur, naturaliter mouetur.

Dens aureus tempore mouetur te & reipſa teſte. Ergo.

Propoſitionem veriorem vero eſſe demonſtrat Ariſt. 4. *phyſ.* pluribus; quo te ablegatum & eruditum velim. Hinc plura e-

K mer-

mergerent ποείσματα quæ temporis anguſtia intercluſus & ταυτολογίας euitandæ gratia prętermittam. Quãdoquidem ortus interitus quo res omnes occidũt cauſa eſt tẽpus, quia vid. numerus eſt motionis, & motio quidem eſt qua res eodem ſtatu nõ permanent, nec perdurare eodẽ ſtatu poſſunt; ſed fluxæ & caducæ exiſtunt, & nequaquam eſſe & ſubſiſtere, ſed fieri perpetuo res naturales oportet. Quæcunque verò naturales non ſunt, cum nec moueãtur nec quieſcant, nullo modo in tempore eſſe mouerique dicenda erunt. Nam in tempore eſſe nihil aliud eſt, quàm menſuræ ipſius ſubiici; ſed menſio temporis propria eſt, ac tribuitur tantum motibus & ſtatibus quorum nulla res naturalis expers eſſe conſueuit.

Quartum & quintum ſilentio prætereundum puto. Hoc enim ſupra refutatũ, & ſimul oſtenſum multa in loco peregrino naſci naturaliter. Sicut ferrum quo pluiſſe teſtatur olim Auicenna in aëre generatum, quod tu ſi ſanus es, naturaliter ibi natum difficulter negaueris. Nec lapides quidam non naturaliter generati tibi videbuntur, quod in corpore humano loco alieno naſcantur; etiamſi toto genere præter naturam medicis habentur, quod videlic. actionibus

nibus maxima ex parte officiant ſanitatemque deſtruant. Illud quam facilis aſſeris, tã facilis refello.

Ad ſexti confutationem ſuperiora aduocanda. Ex abundanti dico; Aurum non ſolum frigore congelari; ſed cõcreſcere etiam calore, docente ſic Ariſtotele & quotidiana excoctione metallica.

7. & 8. Non naturaliter generatum aureum dentem minimè euincunt. Quid enim hoc ad naturalem generationem infirmandam? *Naturaliter Dens aureus non eſt natus, quia alio fine teſtimonio Horſthii.* Quid Horſthius dixerit haud moror, Obiter inſpexi eius χρυσοδοντοσκοπίαν, qua liquet varias eum affingere fines denti aureo. Inter alios etiam manducationem ſenſumque, hunc tibi, illum mihi principalem dentium finem aſtruit. Cur igitur dens aureus diuerſis finibus productus, non naturaliter generatus habendus eſt? Vnius rei nonne fines plures? vt peruulgatum vult logicorum axioma.

Quid octauo virium ineſt, intelligis hac collectione tua octauo argumento cõcluſa.

Si dens aureus naturaliter foret natus, melior factus eſſet.

At melior natus non eſt. Ergo. Meliorem ponis oſſeum quod hunc ſemper fecerit natura.

Negatur connexio. Etſi enim dens aureus melior non eſt fabricatus oſſeo, quin tamen nihilominus naturaliter ſi non omninò, at ex parte genitus ſit, negabis minimè. Si natura meliora molitur ſola, cur Ariſtoteles 10. *ſectione prob.* 44. omnia prauè conari eandem affirmabat? Nonne dentium ipſorum alii aliis meliores exiſtunt natura omnium tamen authore? Maſculus nonne melior præſtantiorque fœmina? Vtroque tamen à natura conſtituto. Si item ſolum melius eſt hoc quod natura facit ſemper, idemque ſolum naturaliter natum, nullum rarum erit naturaliter productum; nec illud idem melius, nec phyſicæ conſiderationi ſubiectum. Denique illud dicitur à natura optimum, quod finem motione obtinuit, teſte Ariſtotele *libr. ſecund. de natura, libr. ſecund. metaphyſic. capit. ſecund. 1. Rhetor. cap. 20. Galenus item de vſu partium.*

Partes aliæ præſtantiores aliis, plātæ nobiliores aliis aliæ.

Illud omne bonum & naturaliter natum habetur, quod vſum præſtat corpori humano. At dens aureus finem eum ſortitus eſt quem reliqui corpori humano commodans. Ergo meritò bonus & pluris tanto æſtimandus quanto oſſeum minoris aureo alias cenſetur.

3. præ-

3. *Præter , contra & ſupra naturam eſſe generatum hunc dentem, ſaltem ex parte, tribus ſtabilire conaris fulcris.*

Quæ hactenus tanto haud dubiè ſudore oppugnare conatus es, ſponte iam tuum laborem cunctum inanem atque fruſtraneũ profiteris, tuoque ipſemet gladio te iugulas imprudenter. Quid enim aliud præter, contra & ſupra naturam dentem aureum duntaxat ex parte generatum dicere, quam profiteri, dentem aureum partim naturaliter, partim non naturaliter natum? Si hoc aſtruis quemadmodum te affirmare tuus ipſemet textus clarior ſole euincit, cur denti aureo omnem adimis naturam? Cur illum numero naturalium omninò hactenus expunxiſti? Cur Diabolicum omninò effectum ſtatuiſti? En conſtantiam & ſtabilitatem tuam in tam exiguo tractatu non ſui recordatam.

1. At argumentum primum tale: *præter naturam eſt hic dens aureus natus, quia aliter quàm natura ſolet.* Si ordinarium & communem naturæ curſum hic intelligis præter quem hic dens aureus natus, non reclamabo multis. De quibus tamen ſupra fuſius.

2. *Contra naturam, quia contra quam natura facere ſolet.* Nam natura hactenus hu-

manos dentes ſolita eſt facere ex ea materia, quæ,eſſet apta nata recipiendi ſenſus, At aurum aptum natum non eſt ad ſenſum, ſed ineptum eſt plane. Connectantur logico vinculo.

Quicquid ex materia inepta ad ſenſum recipiendum fit, illud eſt contra naturam.

Aureus dens ex materia inepta ſenſum accipiendi eſt fabrefactus. Ergo contra naturam.

Incurris fallaciam ignorationis Elenchi. Nam primum falſum eſt, illud eſſe contra naturam quod inhabile eſt ad ſenſus ἐνέργειαν exercendum. Plantæ, cerebrum, pancreas & aliæ corporis humani partes ſenſus ſunt expertes, conſequens tamen neutiquam eſt, illa eſſe contra naturam. Siquidem illa omnia vt & alia innumera inſenſilia, & naturalia & ſecundum naturam ſunt & dicuntur generata. Deinde perabſurdum eſt, Dentem aureum propterea proclamare contra naturam, quod aurum ex quo conflatus exiſtit, ineptum cenſeatur tibi ad ſenſum planè. Nam & ſic dentes & oſſa contra naturam dicenda forent. Vtrobique enim habilitas organi ſenſum exercendi negatur verè, cum hæc ſenſoria non ſint ceu inſtrumenta idonea ad ſenſum deſtituta, ſed neruoſa ſubſtantia in qua

in qua natura ſenſum illum perfici voluit.

Tertium & vltimum quo dentem aureum ſupra naturam collocas, *quod à principio ſuperiori dependeat, cum ſit ἐκ τῶν τεράτων.* At noueris τὸ τέρας non ſemper arguere ſuperius principium, quod dum maximè cauſa exiſtit τῶν τεράτων quando ea fiunt ὑπὲρ ἀνθρωπίνην σύνεσιν, & contra naturam vniuerſam, ſine vllis cauſis naturalibus vì tantum externa, eaque vel Dei omnipotentia, vel angelorum huius bonorum aut malorum virtute ac miniſterio. Quale fuit portentũ vxoris Lothi in ſaxum immobile μεταμόρφωσις diuina: præſtigiæ item & illuſiones Diabolicę, quarum cauſę inexplicabiles habentur, nihilq; naturale habere. Petis itaq; principium, nec explicas ſatis quib. de cauſis ſupra naturã ponendus ὁ χρυσόδους. Memineris etiã te ſuperiorib. manib. pedibuſq; impugnaſſe naturales cauſas in dẽte aureo indagandas, iã verò apertè aſtruere illas ipſas. Quid enim manifeſtius ꝓ latis his? Nec obſtãt forſan media adhibita naturalia. Si enim ſuperius eſt principiũ, poteſt naturam flectere, quò vult, præſertim Deus. Autorem hîc Deum agnoſcis dẽtis aurei, cooperãtib. cauſis naturalibus. Oportuiſſet itaque te memorem eſſe negatorum & affirmatorũ.

ſed ad poſtremam quæſtionem & quartam videlicet,qua diabolicas ſuſpicaris dentem aureum præſtigias.

4. *Videri eſſe meras ſatanæ præſtigias.*

Opinio hæcce tua tribus nititur fundamentis mox collapſuris. 1. hoc continetur ſyllogiſmo.

Si Dens aureus miraculum eſſet, autore Deo, manifeſtus eius finis praſtò eſſet non phyſicus ſed metaphyſicus.

Hic non patet, Ergo nec illius veritas patebit. Antecedens probatur trito vulgari: DEVS *& natura nihil faciunt fruſtra, eoque nomine legimus Chriſtum ſæpe detrectaſſe miracula.* Fallax eſt connexum. Quamuis enim finis metaphyſicus miraculorum non appareat actutum, nec pateſcat cunctis, quin tamen finis alicuius gratia, diuina virtute illa exhibeantur dubium non eſt. Ita aureus dens ſiue diuina virtute ſiue non ſit effictus, peculiari fine metaphyſico adhuc latitante, omnipotentia nihilominus Dei Optimi Maximi naturæ mirificas operationes abundè largita ſuſpicienda nobis obuerſatur. Quod & Diuus Paulus agnoſcit ſcribens ad DEI cognitionem ex operis pulcherrimi contemplatione mentes hominum cœlum intuentes tanquam compendiaria via peruenire. Et Ariſtoteles

Ethic.

Ethic. 7. πάντα φύσει ἔχει τι θεῖον, *& 1. de part. animal. cap. 5.* ἐν πᾶσι τοῖς φυσικοῖς ἔνεστί τι θαυμαστόν. En finem metaphyſicum. His itaque teſtatis exceptum tuum à me telum in te intorqueo argumentando.

Quod finem metaphyſicum habet, illud non arguit meras Satanæ præſtigias.

Dens aureus finem metaphyſicum & pium eſt aſſecutus: Ergò.

Alterum & tertium nullius ſunt momenti. Illo ſic erumpis. *In ſacris non inuenitur, DEVM auro miraculum ſimile produxiſſe, Ergo ſunt meræ præſtigiæ diabolicæ.* Quę hæc quæſo ἀσυλλογισία? Multa miraculorum autore DEO ſemel edita deinceps nunquam producta conſpiciebantur, an eapropter meræ nuncupandæ præſtigiæ diabolicæ? ſtatio ſolis, retrogreſſus eiuſdem ſemel cōtigit duntaxat iubente DEO, an tunc quod in ſacris ſimile exemplum non legebatur, Diabolo aſſcribenda fuiſſent iſta miracula? De cæteris idem cenſendum.

Tertium videtur quidem alicuius ponderis his verbis deſcriptum, at ſyllogiſticè comprehenſum manifeſtat paralogiſmum.

Quod inſolenter aureum eſt factum, id arguit præſtigias diabolicas.

Dens hic inuſitatè aureus prodiit: Ergò.

Propoſitionem probas ſic. *Conſtat diabolum*

bolum poſſe & ſolere auro & argento hominum oculos pariter & animos perſtringere: Et conſtat exemplis veteribus & recentibus. Vetera paſſim extant præſertim apud VVierum de præſtigiis dæmonum, & Bodinum de Dæmonomania. Quid nuper acciderit in Marchionatu, notius eſt quàm vt referri debeat.

Præſtigias diabolicas infinitas & accidiſſe & accidere quotidiè non eo inficias. Infinitas autem illa nondum ſufficienter probat aureum hunc dentem præſtigioſum eſſe, nec ſatis roboris habet & hoc, quod auro imponat hominibus, vt & argento quàm ſæpè. Mortales illudit & herbis aliisque naturalibus, quæ tamen non propterea deſinent eſſe naturalia.

Ego dentem hunc aureum præſtigias arguere diabolicas quò minus credam his moueor argumentis tuis oppoſitis. Quod verè & non præſtigiosè incurrit in ſenſus hominum, teſtimonio Horſthij & aliorum αὐτοψία locupleti.

2. Quod per triennium & amplius conſpectus à plurimis ſit vna & eadem ſemper forma, præter naturam aliàs præſtigiarum diabolicarum, quæ non modò non ilicò permutantur; ſed & breui euaneſcere aſſolent.

3. Quia vſum præbet corpori humano eumq;

eumque non fictum;ſed dentibus humanis perſimilem,imò eundem; in præſtigias dęmonis nullis horum cadentibus. Sed manum de tabula, licet αὐτοσχεδιασὶ (praxi mea quotidiana teſte) conſcriptam velim te prius accuratius introſpicere quàm temerè in eam erumpere. Ponderoſa audiam & erudita, quib. aut ſuccumbam, aut reſpondebo reſponſione repetitâ dignis, vilibus inanibus abiiciendis, grauiora mea negotia præpoſiturus. Vale & inſtructior deinceps redi victoria potiturus. Datę Ratiſponæ, menſe Nouembri, Annò τῆς θεογονίας 1596.

FINIS.

Μόνῳ τῷ θεῷ δόξα.

FRANCOFVRTI,

Apud Ioannem Saurium, Impenſis Cornelij Sutorij.



M. D. XCVII.